

IAMBICUS LIBER PRIMUS

POETAS DIVINO FURORE EXCITARI, ET PROPE FELICES ESSE.

I1_1 v.1 Caelestis intus excitat vates vigor
 2 ultraque semper promovet
 3 illic ut illos sistat, unde moverat,
 4 caeloque cives afferat.
 5 Donecque sedes incolunt mortalium
 6 hac obiti caligine,
 7 virtus tenebris una solos eximit
 8 ardente sole purior
 9 splendore cuius tutiores ambulent
 10 ferantque lucem ceteris.
 11 Hinc non honorum, non opum cordi pedem
 12 volens edaces admovet
 13 ad sacra certo qui semel ritu pedem
 14 Musis dicata contulit.
 15 Vitat sed aegrum vulgus, odit anxii
 16 curas ineptas ordinis ;
 17 aequae dolori gaudioque deditus,
 18 neutro retentus laeditur ;
 19 optat frequenter, nec cupit ; cavet, neque
 20 pavet timore territus.
 21 Ergo aut patentes circuit mundi plagas
 22 floremque rerum colligit,
 23 dum multiformis interim coloribus
 24 natura doctis pingitur,
 25 aut quid decenter expetatur omnibus
 26 jugi labore quaeritat,
 27 cultisque mores mentibus probos serens
 28 inculca quaeque praeterit,
 29 aut saepe laetos inter admissus choros
 30 ludit latenter virginum
 31 ad quos aperte progredi nullis datur,
 32 at ire clam paucissimis.
 33 Illic, amoenae vallis in recessibus,
 34 frondentis alte populi
 35 aestum sub umbra vitat, aura leniter
 36 remurmurante, frondium.
 37 Illic, virentis floridum campi solum
 38 innoxius perambulat,

39 vel ad sonorum vitreae lymphae caput
40 curis solutus sternitur,
41 grato vel antro jam deo plenus sedet
42 lyraque Musam suscitatur,
43 antro, quod hederæ vestiunt circum sacrae
44 laurusque obumbrat mystica,
45 heroas unde tum virosque laudibus
46 divosque dignis concinit.
47 Quid hoc beatius ? Quis huic opes simul
48 omnes furori comparet ?

AD LAURENTIUM LAURETANUM PATRITIUM VENETUM :
NUM P.V. EN PHOENIX SUB QUA DOMUS LAURETANA SIGNIFICATUR

I1_2 v.1 Miranda ponit jamdiu nidos avis
2 hoc sub vetusto stipite
3 et usque ab Indis et Rubro advectos mari
4 miros odores congerit,
5 quibus se adurit, et innovans sub unica
6 aeterna lauru permanet.
7 Jam qualis, ornans purpura pennas, recens
8 illustrat auro verticem
9 et in feroces jam volucres sic Jove
10 vires volente comparat,
11 applaudit alis et sinu mites fovens,
12 clangore segnes excitat,
13 vestra haec sub alta nam domus lauro viget,
14 Phoenix perennis altera,
15 quae semper aequos, semper in re publica
16 summos futuros parturit
17 habetque semper, semper et bonos domi
18 forisque profert principes :
19 ceu cui, favente nunc polo, rerum graves
20 virtus habenas credidit,
21 sub quo verentur patrias leges mali,
22 gaudent at illis optimi.
23 Ac cum nefando Martius gradu furor
24 urbes oberret Italas,
25 his bella mitis arcet ex oris procul
26 adaucta pax felicibus.
27 Tuentur aequi scilicet divi piam
28 gentem sub almo principe.

PATRIAE GRATULATUR QUOD SUB DITIONEM VENETAM VENERIT.

I1_3 v.1 Aetatis actae plurimam sub aureis
2 partem peregrini legibus,
3 donatus urbe donec Antenorea
4 illic vacabam litteris ;
5 mox Tarvisina, factus hic quoque munere
6 civilitatis auctior,

7 vel esse dum me civitatum principis
 8 quandoque juvit incolam.
 9 Istius ergo publicae mores rei
 10 quot vel fuerunt optimae
 11 jam nemo, ut ipse, noverit quidem, neque
 12 magis sit illi deditus
 13 quam mens parere pro virili concupit
 14 huic nostra semper unicae.
 15 Miretur ecquis si videri gestiam
 16 nunc usitato laetior ?
 17 Gestit quod intus spirat ac fervens mihi
 18 pleno redundat gaudio.
 19 Videbo te ne dulcis, o te patria,
 20 videbo sub sanctissimo
 21 semel senatu, te videbo immobili
 22 frui quiete, patria,
 23 qua civitates sempiterna moribus
 24 agunt beatis ceterae.
 25 Redibis ergo nobilis potentium
 26 Quiritium colonia
 27 nunc in nitorem pristinum, nunc os situ
 28 demes honestum squallido !
 29 Videre jam videmur altis substrui
 30 portus decenter molibus ;
 31 prolapsa priscis undecumque moenibus
 32 novo reduci coctili,
 33 at templa miris excitari sumptibus
 34 cultu dicanda numinum ;
 35 privata quin et tecta passim civium
 36 domos parari dirutas,
 37 coli feraces undique exstantis tuos
 38 colles honestos frugibus.
 39 Diceris Aemiliae urbium, ut quondam, omnium,
 40 Ariminum, urbs pulcherrima.

GRATIARUM CONVIVIIUM

Il_4 v.1 Invitat olim Bacchus ad cenam suos
 2 Comon, Jocum, Cupidinem.
 3 Discumbit una Liber ac Amor ; Jocus
 4 Comosque contra proxime.
 5 Illis decenter subministrant Gratiae
 6 grati saporis pocula
 7 succosque miscent, et venena temperant
 8 multi vicissim palmitis.
 9 Inusitato proluunt se nectare
 10 plene sodales uvidi,
 11 ac forte justo plus parum dulcedine
 12 lactante capti ingurgitant.
 13 Hic inter aegros incipit verbis deos
 14 ridenda primum rixula :
 15 graves Amori Bacchus objectat dolos
 16 quibus frequenter utitur,
 17 illi Cupido vana ludens gaudia

18 blaesasque voces exprobrat ;
 19 Como Jocus Risos leves, Comos Joco
 20 sales ineptos objicit.
 21 Mox in capillos atque ocellos advolant
 22 manusque nectunt parvuli.
 23 Adsunt sorores illico tres perditis
 24 pacemque suadent optimae.
 25 Tandem sagittas et pharetram clanculum
 26 Bacchus Cupidini involat ;
 27 at vi nitentem florida Jocus coma
 28 Como coronam diripit.
 29 Sic inde scissis crinibus cedens Amor
 30 matri fit obviam ebrius,
 31 Comos facetos ad viros se proripit
 32 per angiportum devium,
 33 Bacchus Jocusque contrahunt foedus, brevi
 34 mox desiturum tempore.
 35 Ast ut propinquans sordidum natum mero
 36 Venus madentem conspicit,
 37 irata secum, limpidum ad fontem manu
 38 apprensum et haerens attrahit.
 39 Huic rore puro protinus lavat sacri
 40 crines solutos verticis
 41 pectitque et aegre extricat, ac dat undique
 42 collo nitenti pendulos.
 43 Sed forte oberrans rosidam manus cutem
 44 contingit acri pectine :
 45 tum laesus ille subdit accensam pio
 46 facem parentis pectori.
 47 Ambusta at ipsa, ut erat, in undas prosilit
 48 secum trahens Cupidinem.
 49 Fons unus ergo sic levatos dispari
 50 ambos calore liberat.

AD VINCENTIUM QUIRINUM PATRITIUM VENETUM : P.V. VELLUS AUREUM

I1_5 v.1 Ovem relicto pastor educens grege
 2 Alcon sub antro collocat
 3 illicque solam sedulus sectis alit
 4 herbis et haustis fontibus.
 5 Nusquam vagari namque sub divo sinit,
 6 saepo sed arto continet,
 7 candente donec quae nitebat vellere
 8 atro colore obducitur :
 9 dehinc et virenti caerulove saepius
 10 nec non rubore spargitur.
 11 Tandem, priori restituta tegmini,
 12 albere rursus incipit
 13 sensimque tantum prodit, ut spectantibus
 14 visus acumen auferat.
 15 Tum pastor illi subministrat largius
 16 quaesita passim pabula,
 17 at ipsa, quod mox omnibus mirum foret
 18 quicumque propter incolunt

19 Silis fluenta, protinus pingui satur
20 laeti sagina graminis
21 insigne mutat tergus, ac illi undique
22 vellus renidet aureum.
23 Auroque dentes, et pusilla cornua,
24 parvaeque fulgent unguulae.
25 Surrepta demum nobilis fato pecus
26 spirans et aurum concidit.
27 At laetus Alcon divitis pondus gregis
28 domum referre nititur
29 festumque pastor aurifex agit diem
30 habetque divis gratias.
31 Meram, Quirine, luseramus fabulam
32 hanc, quam tibi nunc mittimus.
33 Sunt qui subesse non nihil tamen putent,
34 quod fors nec ipse attenderim,
35 hinc illae ineptae fictiones saepius
36 et longa commentaria.
37 Supersedeto tu, nec, ut rerum omnium
38 scrutator es gravissimus,
39 his e tenuibus erui quicquam velis,
40 quod nec subest reconditum.
41 Non nulla priscis excidisse vatibus
42 ferunt furore percitis
43 ac esse paucis illa vere cognita,
44 abstrusa namque permanent,
45 educat ipsa ni quis e penetralibus
46 reddatque aperta posteris.
47 Quae vix probarim : tam potest antiquitas
48 quam nos fidem verbis damus.
49 At excitari dixerim vates tamen
50 ferrique mentis impetu,
51 id vel movente intrinsecus causa, vel id
52 caelo favente prodeat.

AD PEROLLAM:

COMMENDATIO LINTEI ELEGANTISSIME ACU PICTI ELEGANTISSIME ACU PICTI.

I1_6 v.1 Opus videre contigit mirum mihi
2 novae profectum nunc ab arte Palladis,
3 natura quale vel potens pictor daret,
4 laetum et feracem qui referret hortulum,
5 veris colores aemulatus floridi.
6 Apellis aequae nec tabellae moverant
7 spectantium animos aut Myronis aerea,
8 ceu viva foret, operta tauris bucula,
9 gregem gregisque sic duces fefellerat,
10 nec Praxitelea marmor in sacros deum
11 virtute vultus expolitum verterat
12 in se tuentes, ut Perollae sericum
13 me movit Iphi munus hoc missum suo :
14 tantum quibusque in rebus excellentia
15 pollet, sibi que conciliat et secum trahens
16 mentes potenter nectit admirantium.

17 Jam nunc quid elegans acu possit manus
 18 videtur arto reddito telae sinu,
 19 ubi virentis herbido terrae solo
 20 arbusta ramis pullulant florentibus.
 21 Spectare parva quoque licet animantia
 22 passim recessus ut subintrent abditos
 23 densisque rursus e latibulis exeant
 24 et prata cursu perferantur mutuo,
 25 ut rupe ab alta rivulus cadens fugit
 26 inter lapillos et suborta gramina
 27 virentque fontis ora musco limpidi,
 28 ac ut canorae vepribus sidunt aves
 29 et ut sub undis vitrei pisces natant,
 30 insecta quin et muneris partes sui
 31 auctura ut haerent, cursitant, repunt, volant.
 32 Et ridet omne quicquid hic pictum vides.
 33 Sed jam vaganti dandus est Musae modus,
 34 certare nequa videar imprudens tibi
 35 frustra minutis hisce tecum versibus,
 36 Perolla, dulce seculi nostri decus.

AD FRANCISCUM CORNELIUM PATRITIUM VENETUM

I1_7 v.1 Corneliorum gente qui ducis genus
 2 clara, vetusta, divite,
 3 Francisce, iambis te quoque in nostris locum
 4 tenere vel primum velim,
 5 sed nullus altum vasculo fontem brevi
 6 tentarit umquam claudere,
 7 nec ipse sperem posse quae tibi attinent
 8 dici minuto carmine.
 9 Vide quid error seduli vatis queat,
 10 ut tendat illuc, quo nequit.
 11 Priscae ne tenui proferam domus lyra
 12 opes, viros, praeconia ?
 13 Dicenda vi sunt grandiore haec plurimi
 14 oris, vel alti carminis.
 15 Sat est amico tantulo velut mihi
 16 referre solum hoc quod potest,
 17 ut fons honestae scilicet prolis scatet
 18 semper viris uberrimus,
 19 quos inter, ampla honoris et rerum vicens
 20 successione, oleveris.
 21 Ac ut te honestant hi, ipse sic illis decus
 22 contra refulges splendidum.

AD ANDRIONEM ARTUSINUM RAVENNATEM
 (carmen ex solis iambis)

I1_8 v.1 Iambe, cede quam potes meus celer
 2 et alta regis ora scande fluminum :
 3 ubi vetusta fiet urbs tibi obviam,
 4 mei sodalis Andrionis optimi

5 amoena dulcis et beata patria,
 6 ibi salute plurima prius pete
 7 eum, subinde nos valere dicito.
 8 Requiret ille forsitan, quid egerim
 9 diu, vel an quod actitem frequens opus.
 10 At ipse sorte me referto vivere
 11 mihi benigna quam dedere sidera,
 12 vel aequa mens paravit, ut nimis nihil
 13 velim, satisque subministret usui
 14 brevis scatente fontis ore copia.
 15 Et ut Camena succinit modos mihi
 16 quibus videtur admovere seriis
 17 volens jocosa, nec minus lubens statim
 18 amarulenta temperare dulcibus.
 19 Mihique vita, quae solebat, ut sedet
 20 modesta semper, omnibus jocis tamen
 21 referta, ni quod absumus cupidine
 22 procul, petebat aegra qui levis mihi
 23 frequente corda, nec gravi diu, face.
 24 Sed haec locutus ante, quaere postmodum
 25 quid is lucretur usque cum negotiis
 26 quae honesta et aequa plurima, ut virum decet,
 27 agit frequenter, et subinde splendidum
 28 sibi reique publicae decus parit ;
 29 itemque prole cum sua ut valet pater
 30 domusque ut omnis. Interim ne litteras
 31 situ perire squallidas putri sinit.
 32 At ille mente concitus tamen deum
 33 suis onusta saepe multa gratiis
 34 dabat favente Gratiis Apolline.

AD C. NUPER INITIATAM

I1_9 v.1 Quo virgo tendit omnium pulcherrima ?
 2 Quo te misella subtrahis ?
 3 Ubi decorem protinus tantum, velut
 4 effecta vecors, oculis ?
 5 Heu quo repente, quo fugis ? Quo te tibi
 6 aufers malorum nescia
 7 quae te petent, te different, in te undique
 8 facto ferentur agmine ?
 9 Ubi parentes impie temnens gravi
 10 dolore fessos deseris,
 11 quibus cor una eras, et una spiritus,
 12 erasque prorsus omnia ?
 13 Hostilis ecquid improbe quicquam magis
 14 manus patrare quiverit,
 15 quam si foventis filiam matris sinu
 16 aut patris amplexu auferat ?
 17 Opes, inepta, divitis tantas domus
 18 sumptusque tantos despicias.
 19 Ornatus annos qui tenellos, qui genus,
 20 qui te decebat spernitur.
 21 Quam tristis omnis, heu, juvenus linquitur,

22 sed inter omnes tristior
23 aetate siquid florida tuas puer
24 optarat ardens nuptias,
25 qui te tuosque prole felices diu
26 pulchra nepotum redderet.

RESPONSIO PRO C.

I1_10 v.1 Tentare quid tot impiis piam modis,
 2 vates, puellam juverit ?
 3 Quae vovit uni protinus se maximo
 4 constanter orbis Principi,
 5 ex quo beata haec cuncta, quae jactas, fore
 6 brevis caduca noverat,
 7 at firma contra, quae sequatur, omnia
 8 nulloque laesa tempore.
 9 Sunt ista, quae tu colligis, quidem bona
 10 vitaeque prorsum commoda,
 11 sed implicata pluribus passim malis
 12 plus fellis et mellis minus
 13 habent, nec uno perseverant ordine,
 14 incepta sed vix desinunt.
 15 Nec illa caros sic parentes deserens,
 16 ut reris, errat impia,
 17 hos namque tanta caritate amplectitur
 18 quam magna natae convenit.
 19 Nomen sed illis anteponit optimi
 20 rerum Parentis omnium,
 21 facitque solum id maximi, praeque Unico
 22 nil esse ducit cetera.
 23 Ergo parentes quam sibi ablatam, putent
 24 vero Parenti redditam.
 25 Perculsa quin et tristibus tandem modum
 26 ponat juvenus lacrimis.
 27 Quae namque spretis invidia mortalibus
 28 nupsisse Divo virginem ?

AD BERTUTIUM LAMBERTUM,
AD QUEM SIGNIFICAT MITTERE TRES SUBSEQUENTES ODAS :
FAUNUM, LYCEN ET MUTUO AMANTES

I1_11 v.1 Si quando curas pectoris graves sacri
 2 levas honestis lusibus,
 3 Lamberte, quos nunc mittimus jocos tibi
 4 omnino ne tu spreveris.
 5 Faunum videbis nubilem sequi Lycen
 6 locos per omnes avios
 7 quocumque praeceps illa sese proripit
 8 dulcisque differt nuptias.
 9 Leges ut Orus alteram Lycen sibi
 10 amator optet fervidus,
 11 ut Flora et Alcon mutuo se diligant

12 parique se affectu beent.
13 Haec submonere visus es pridem mihi
14 ludens ut ad te scriberem,
15 qui dum jocosis mutuare seria
16 condis amara dulcibus.

FAUNUS

I1_12 v.1 Amore captus nubilis Faunus Lyces,
 2 eam dicari conjugem sibi cupit.
 3 Sectatur, instat fervidus, celer, furens,
 4 quocumque se fert illa, quo pavens fugit,
 5 quo se recipiens fessa anhelansque occulit,
 6 vel cum profundi fluminis vadum natat,
 7 vel cum latebras infimae vallis subit,
 8 densae vel intrat abditum silvae sinum,
 9 rupes vel alti dirutas repit jugi.
 10 Solatur acres interim curas tamen
 11 quandoque lassus ad sacrae lymphae caput
 12 dulcique blandis consona verbis lyra
 13 nymphis amores conquerens suos canit.
 14 "Nymphae, perennis fontis almae praesides,
 15 quae me cadentem jam atque semimortuum
 16 vestri frequenter ope liquoris excitum
 17 fovetis, atque alacriorem redditis,
 18 ut sorte cursus jam mihi datos sequar,
 19 ecquid pii me comptem voti queam
 20 umquam videre ? An semper infensus meae
 21 luci, meoque spiritu degam gravis ?
 22 Quae vita, quae cor unice spirat mihi.
 23 Desideratos ecce in amplexus feror,
 24 et cara tendo insaniens ad oscula.
 25 O delicati pectoris papillulas,
 26 jam semipomae molliter quae prominent !
 27 O colla Parium marmor excedentia !
 28 O suavianda centies labellula !
 29 Sparsas rubentes ore quid dicam rosas
 30 albis ligustris candidisque liliis ?
 31 Totius edam quid micans oris jubar ?
 32 Vel quae serena fronte lucent sidera ?
 33 Et quicquid illic aureus vertex tegit ?
 34 Cum nocte semper et die me saucient
 35 quae pulchriora suspicor latentia."

ORUS AD LYCEN

I1_13 v.1 Tenebo te nunc et fruar cupidine
 2 desiderato tandiu, Lyce, mihi ;
 3 spectabo praesens, aemulique siderum
 4 ictus ocelli sustinebo comminus.
 5 Deosculabor os tenellum suavio
 6 presso labellis molliter mellifluis.
 7 Gratas amantis en tibi voces prope
 8 haurire cupidis nunc licebit auribus.

9 At ipse felix et beatus audiam
10 coram sonantis dulce murmur osculi.
11 Narrabis, ut me maximi solum facis,
12 et cuncta pro me jam tibi sordent simul,
13 ut prorsus uni te colis et ornas mihi,
14 et mi placere, quo queas, semper cupis.
15 Contra sed inquam, miserum ut ipse me putem
16 ni semper una tecum agam praesentius,
17 ac ut propinquem deserar que nuspiam,
18 horrenda quaeque cupiam adire et perpeti,
19 omnique tecum coner ut degam modo,
20 et mente saltem, re nisi detur, siem.
21 O me beatum teque contentam, Lyce,
22 quod sic in unum prospere convenimus !

FLORA ET ALCON MUTUO SE AMANTES

I1_14 v.1 Amica sicui praestitam fidem servat,
2 laetoque ridens annuit Venus vultu,
3 dici beatus hoc magis potest nemo.
4 At si qua amantem perdit est virum nacta,
5 cupidinisque vinculo tenet vinctum,
6 felicitati jam sibi viam fecit.
7 Sed si quis ardet, nec parem refert ignem
8 grato ex Amore, nec sibi modum ponit,
9 miserrimis aequae omnibus miser vivit.
10 Quod ne superstet providis onus vobis
11 cavetis una, mutuoque vos inter
12 pendetis affectu, unicuique consensus
13 dulcem tenore ducitis pio vitam.
14 Sic haeret ulmo proxime diu vitis,
15 inseparato compari gemit turtur,
16 uno palumbes congerunt loco nidos,
17 adjunctus uni pipilat suae passer.

AD HIERONYMUM ACTIONUM

AVOGARIUM TARVISINUM

COMMENDATIO TABULAE, QUAM PINGENDAM, ET ORNANDA CURAVERAT.

I1_15 v.1 Tabella divae dedicata Palladi
2 pictore nuper diligente prodiit,
3 spectanda nobis et colenda posteris,
4 ni prorsus obstet temporum vecordia.
5 Hanc mirus addens artifex lignarius
6 circum columnas et coronam, reddidit
7 majore dignam protinus spectaculo.
8 Tantum decoris contrahunt quae proxime
9 apte cohaerent, et simul lucem ferunt.
10 Debetur istis certa laus, et forsitan
11 uterque nostro vivet olim carmine.
12 At Avogari, qui studes hic invicem
13 certare summos, et subire dispari
14 virtutem censuram acriter spectantium,

15 nec ipse laude debita fraudabere.
16 Pollere miris haud parum est sic artibus,
17 pictoria hic velut, ille fabrili potest.
18 At his favere et hos fovere splendidum
19 et grande munus, sed magis tanto quidem,
20 quanto videntur ista paucioribus
21 ut sint favore quolibet dignissima.

AD PAULUM DECANALEM PATRITIUM VENETUM :
EOS BEATE VIVERE QUI AMORI ET DISCIPLINIS INCUMBUNT.

I1_16 v.1 "Silene, nam cum dulcis Euhius tibi
2 inflare venas coeperit
3 arcana claro cuncta cernis lumine
4 ultroque visa praedicas,
5 dic, oro, quae nam causa sic mortalium
6 mentes inanes concitet,
7 volens ut ullus haud vicem ferat suam
8 sed quisque prorsus improbet."
9 Haec ego, mihi cum reddidit contra deus
10 amotus ora cantharo :
11 "Ne quaere quod mortalis umquam vis nequit
12 indagine ulla consequi.
13 Sic est, supremo sic semel visum Jovi,
14 in aes ut aurum verterat,
15 ferroque deinceps inquinarat saecula,
16 quondam beata et aurea."
17 Haec fatus ille munus ad suum redit,
18 sitimque sedat anxius.
19 At tu per omnes, Paule, ne putes tamen
20 id usquequaque porrigi,
21 ut nullus umquam sorte contentus sua
22 possit beatus vivere.
23 Verum putato quos hiantes videris
24 vel semper his honoribus,
25 quos aura vulgi ventilat, vel rebus his,
26 fortuna quas dat unica,
27 eos nec ulla sorte contentos, neque
28 ulla beatos degere,
29 sed esse multa, triste quae virus queant
30 horum per artos spargere.
31 At qui relictis anxiis curis procul
32 vitam quiete protrahit,
33 vel qui puellae gratus in sinu suae
34 amoris igne aduritur,
35 aut qui sororum concitus sacris novem
36 Phoebi furore ducitur,
37 his pura mentis lux renidet omnibus,
38 aerque cedit nubilus.
39 Hinc tu pudenti, nam sapis, cupidine
40 rarae teneris virginis,
41 et verba tum modos amas, tum splendidi
42 vultus nitorem suspicis.
43 Hoc praestat aegro sanus, hoc intelligens

44 indocto amator interest.
45 Ingressus hanc tu semitam complecteris
46 quicquid beatis convenit,
47 nam singularis obtigit quondam tibi
48 primis ab annis indoles.
49 Mores secuti sunt et artes optimae,
50 quibus potenti ceteros
51 praecurris ausu juvenis, ac harum quoque
52 ardore flagras intimo.
53 Uterque summus est et impotens amor,
54 uterque caelo provenit.
55 Nutu tuetur ille se Cupidinis,
56 hic lege contra Pallados.
57 Quis sorte non contentus hac ? Quis denique
58 te non beatum duxerit ?

AD ANGELUM CHABRIELUM PATRITIUM VENETUM :
VIVENDUM ESSE ET AMANDUM

I1_17 v.1 "Vivamus, atque nos amemus, Lesbia"
2 vatum Catullus optimus cum diceret,
3 non dixit uni, sed, ut opinor, omnibus.
4 Est vita rebus praeferenda singulis,
5 at hanc volentes perdimus semper tamen,
6 et mille miseram spiculis confodimus.
7 Amare cunctis ac amari convenit.
8 At cuncta subter siderum cursum licet
9 amore perstent, et labent discordia,
10 hunc tamen amaris vocibus lacessimus
11 et nunc procacem, nunc protervum, nunc gravem
12 vanumque saepe dicimus cupidinem,
13 quasi cupido haec sit gravis mortalibus.
14 At ni sit ista, quid boni relinquitur,
15 dispersa in unum quod reducat amplius ?
16 Natura cuinam deferet primordio
17 contraria ut quaeque invicem coerceat
18 nexusque ab illis exeant viventia,
19 ni vis amoris id ministret abditi ?
20 Sic est ; malorum causa nos nobis sumus.
21 Vitam replemus perditis affectibus,
22 vel quos inepti fert honoris ambitus,
23 vel quos avara spes lucelli comparat,
24 at ut rebellem atque scelestam pellimus
25 affectionem liberi Cupidinis,
26 quae sola forsitan caelitus nobis venit.
27 Hinc, Chabriele, est, quod frequenter nec minus
28 prudenter admiraris esse pauculos
29 bene ac beate qui frui vita velint.
30 Spectare et illud huc videtur maxime,
31 quod ut perite faris et agis cetera,
32 inter sodales id venuste comprobans
33 ac tamquam adhortans sic eosdem saepius
34 atque eleganter vatis ore candidi :
35 "Vivamus", inquis, "ac amemus, Lesbia".

AD SEBASTIANUM MEDULUM TARVISINUM :
NEQUE FIDEM MAIOREM, NEQUE AMOREM FIRMIOREM, QUAM CONIUGIS.

I1_18 v.1 Tu ne putato dulcius quicquam tibi
2 posse evenire cariusve, Medule,
3 quam si fidelis mutuo respondeat
4 Amore virgo, quae venustis moribus
5 raraeque formae vinculis te coeperit.
6 Sed nulla major exstat et patet fides
7 amor nec ullus firmior, quam conjugis,
8 quae vix adulta patriam linquit domum,
9 caroque felix degit in sinu viri.
10 Hanc ipsa namque ventilat facem Venus,
11 ut vivat, utque crescat hanc semper fovet.
12 O quid quis umquam deligat beatius
13 quam sic amata re potiri prospere
14 ut e propinquo hanc spectet, hanc ut osculo
15 donet licenter, huic ut amplexum ferat,
16 unique molli fas sit ut cubet toro ?
17 Quid si faceta dulcibus juvet jocis
18 et te jacentem tollat, et tristem levet ;
19 ac mox decenti prole te reddat patrem,
20 blaesaque circum voce nati lusitent ?
21 Nec litterarum studia prorsus quippiam
22 ullove pacto, ut arbitrantur, laeserit ;
23 sed una curas auferens domesticas
24 ardentiolem te per illa duxerit.
25 Haec te putabit alteram se protinus,
26 hanc temet esse cum putabis alterum ;
27 quin illa tuque jam duo, nunc unici
28 vivetis uno sub favore spiritus.

AD HIERONYMUM BONONIUM TARVISINUM :
I OCOSI ITINERIS DESCRIPTIO

I1_19 v.1 Quam me, Bononi, juverit laetus dies
2 nec non sodales optimos, qui candidus
3 mihi refulsit nuper et sodalibus,
4 siquid jocosis versibus vacaveris,
5 qui pene risu prodire conciti,
6 scies ; et aequae forsitan, ac simul comes
7 nobis inisses hoc iter, laetaberis.
8 Reverteremur rure dum Marcellio,
9 ubi egeramus biduum lautissime,
10 currum faceti quattuor conscendimus.
11 Marcellus aegro nam parumper corpore,
12 sed mente sana praeditus forsitan nimis,
13 ut saepe qui me salibus laccesserat,
14 primus sedili se suo locaverat.
15 Secundus ipse sat pudens ad dexteram
16 haerebat, ut illi sic facultas afforet
17 me provocandi major haerentem prope.

18 At parte currus altera Advogarius
19 Pancratiusque jureconsultissimi
20 latus premebant invicem, nec alteri
21 cedebat alter, dividantibus velut
22 suis adessent gnaviter clientibus.
23 Interque semet dissidentes maxime,
24 de jure nobis portio quae sit loci,
25 vel partiendae prolis, et quid Ercium,
26 se velle signant eleganter dicere.
27 Ridemus omnes. Interim sed callidus
28 Marcellus, ut qui dirrimat litem joco
29 novo jocosam, sic renidens incipit :
30 "Quam nunc serena sint, videtis, omnia,
31 vates sed iste nobilis praedixerat
32 imbres futuros continenter uberes."
33 Statimque fingit fabula pulcherrime :
34 Fuisse quosdam, qui ratem jam pendulo
35 fune alligarint turris ad cacumina,
36 unde esset exstantis in undas protinus
37 jactus, repente disseccatis funibus.
38 Secutus ad quae risus est effusior :
39 tam saepe vatium sidus observantium
40 praedictiones hi facete riserant.
41 At ipse contra jam fore id perendie
42 contendo veris auguratus sortibus.
43 Ac ut pari par redderem : "Quid heus tibi,
44 inquam, valetudo ipsa neglegentiae est
45 tantum, ut reclusis nunc fenestris dormias,
46 intraque malis accisis cubiculum
47 degas refertum, jam minante proximas
48 astro procellas exsecrandas imbrium ? "
49 quid plura ? Risu inemori nos diceres
50 tam paene visum est, quod loquebamur, nihil.
51 Tum laetus una quisque nostrum coepimus
52 cantare summas maximi laudes Jovis
53 et ceterorum non tacendas caelitem,
54 illisque habere multififormem gratiam,
55 quod sic redire sospites nobis domum
56 liceret et jam rustici plenos joci.
57 Referre dehinc quae rusticando fecimus
58 juvat, simulque quae legendo diximus,
59 non usquequaque negligenda forsitan :
60 ut Alleotus optimus sodalium
61 et ipse nobis opitulatus venerit
62 centum jocosis ampliusque lusibus,
63 ac nos lubentes postmodum perduxerit
64 visum virenti fronde citriaria,
65 quae cultor ipse mirus hoc coegerit
66 caelo subesse quippe non idoneo
67 illis colendis : fertur at victor labos
68 et cura victrix impotens per omnia.
69 Ut hic videre poma juvit aurea
70 pendere prono crebra de ramusculo !
71 Virere quicquid undecumque cernitur,
72 sternique lapsis floribus passim solum,
73 olere cuncta suaviter fragrantia.

74 Haec quo fuere gesta nobis antea,
 75 eo petuntur et feruntur ordine.
 76 Apricus inter collis haec Pansacius
 77 non praeteritur, laude sed paene omnium
 78 majore fertur, quam mihi dici queat,
 79 haud tam minutis praedicandus versibus.
 80 Quis namque parvo carminis sub ambitu
 81 laudes feracis praedii comprehenderit,
 82 cultoris arte, non sua vi cetera
 83 vincentis, et quae fertili vigent solo
 84 protectione rusticantis numinis,
 85 et quae vetustum prosequuntur ordinem
 86 successione prospera colentium ?
 87 Haec dum gerentes aucupamur undique
 88 quodcumque risum subministret, interim
 89 dum quisque nostrum oblitus est quidem sui,
 90 adhuc canentes paene in urbem lassuli
 91 intramus, ac mox hospitis nostri domo
 92 laete recepti, regie discumbimus
 93 tapetas inter, et superba pocula.

CARMINA INSCRIPTA CODICI PETRARCAE,
 QUEM MIHI DONO DEDERAT LODOVICUS BARBADICUS PATRITIUS VENETUS
 RECENTER MIHI PARTUS AMICUS.

I1_20 v.1 Libelle carior mihi
 2 auro et lapillis omnibus,
 3 quos dives affert India,
 4 habere quem mihi dedit
 5 partus recenter optimus
 6 amicus, et dignissimus
 7 amore, quanto quis potest
 8 quemquam, ac honore prosequi,
 9 te sedula aperiam manu
 10 grataque cura perlegam :
 11 ut auctor est venustior
 12 multis aperte vatibus,
 13 donator est multis mihi
 14 carissimis recentior.

AD HIERONYMUM BONONIUM
 IN OBITU FILIOLI CARISSIMI.

I1_21 v.1 Octavi, animula matris et patris vita,
 2 quo subtrahis te ? Quo fugis ? Redi ; persta.
 3 Ego te ad parentes anxios tui ducam.
 4 Mane, columbe mi, mane puer dulcis.
 5 Hei mihi, quid est, quod te tenere non possum,
 6 sed umbra veluti submoves mihi tete ?
 7 Et vultus hic est quippe tuus, et incessus :
 8 Octavius certe est Bononii vatis,
 9 quem nocte semper et die vocat semper

10 tristi Camena conquerens miser frustra.
11 Ornatus hic unde est tibi ? Et decor formae
12 augustior, quam soleat, et Deum spirans ?
13 O si ad parentes ducere hunc te, amor, possim,
14 quam carus esses, quae tibi darent grata !
15 Accedes sodes, huc ades puer quaeso,
16 huc suavium, huc mellite, corculum huc perge.
17 Videris haec dudum facere nihil verba.
18 Sed hic quis est infantium levis coetus ?
19 Assistit en te qui supra, et volans circum
20 repente ? Quo te nubibus ferunt scissis
21 purum per aera ad aureas poli sedes ?
22 Quis dulcis aures personat meas cantus ?
23 O te beatum, putre qui cito pondus
24 humi relinquens, par tibi petis sidus.
25 Haec per quietem visa sunt mihi miram,
26 dum me, Bononi, flebilis movet casus,
27 qui te immerentem perculit nimis nuper.
28 Quae, si levare non nihil tibi possent
29 acrem dolorem, misimus deae jussu,
30 quam tu solebas ad fluentia Permessi
31 dulci sonantem prosequi lyra Musam.

AD MARINUM LAMBERTUM,
AMORIS LAUS :
(carmen ex solis iambis)

I1_22 v.1 Quid hoc, Marine, et unde suspicer dari
2 fidelium esse amantium, sub altero
3 ut alter usque vivat, et cor invicem
4 agat colentis in colente pectore ?
5 Quid illud est quoque ut magis velit nihil
6 et optet hoc, quod ardet, ac nihil putet
7 honoris, atque res amata, dignius ?
8 Quid ut valore nullius capi queat,
9 amore nullius, pudore nullius,
10 sed una semper ante forma prodeat,
11 ametur et colatur una maxime ?
12 At ipsa forte si perire contigit,
13 tamen relinquit haec sui cupidinem.
14 Procul recedat haec, idem hoc facit quoque.
15 Manet reposita mente amantis unica,
16 nec alteram ingredi sinit, sed ejicit
17 inepta siqua forsitan hic erat prius.
18 Amante prorsus est venustius nihil,
19 amore namque fervidus nitet, velut
20 domus renidet igne laeta splendido.
21 Amore constat omne quod vides, amor
22 decentis unus omnis est boni pater.

AD CORNELIUM CASTALIUM FERTINUM :
IMITANDUM PETRARCAM IIS, QUI EIUS GENERIS POETICA PRAESTARE VELINT,
QUOD IN EA LINGUA, QUA LOQUIMUR, CAETERIS PRAEFERENDUS EST.

I1_23 v.1 Mirum videri Vadius sibi quondam
2 dicebat id : Cum, alias acutus et solers
3 vates, Petrarca scriberet frequens plures
4 versus latine, et quid deceret expertus
5 parum videret, qua utimur tamen lingua
6 Veneres eum ita lepidi poematis cunctas
7 implesse, ut optimi quibusque conferri
8 Graiae ac Latinae vatibus queat Musae.
9 Haec ille, erat qui candidus simul iudex
10 simulque rerum doctus et simul prudens,
11 utraque lingua vir peritus et grandi
12 virtute mirae praeditus senex vitae.
13 Contra ipse quotiens elegans tuum scrutor
14 ad me Bononiumque nunc datum carmen
15 et quosque similes his frequenter emittis,
16 te laude totiens prosequor statim justa,
17 quod lege veteres aemulatus antiqua
18 nec sensa tantum, verba sed quoque illorum
19 effingis, atque par tibi decus quaeris.
20 Cum vero "Amores" perlego tuos, qui nunc
21 circumferuntur, miror aliter ac ante
22 sentire te, qui solitus inclytos semper
23 sequi poetas Lydios, velut Dantem
24 seu mage Petrarcam, luseris graves olim
25 simulque dulci concitos lyra versus.
26 Secutus at nunc perperam novos quosdam
27 vates minutos, praevenis quidem hos tanto,
28 quanto e venustis sumpseras prius pleno
29 haustu liquores fontibus, sed haud aequas
30 quos tu solebas pristino viros cursu.
31 Nec mentis hoc vitio tibi putem dandum,
32 ni quod ita vis tu ; sordidos enim primum
33 exuere amictus, ut lubet, potes liber ;
34 mox aurea, quae te decet, frui veste !
35 Ornatus est nam puritas novae linguae
36 splendorque, et acris additus labor limae,
37 ne penitus exstet barbara haec recens aucta
38 e barbarorum tum profecta conventu,
39 cum jam Latinam pellerent senem sede.
40 Quod assequetur qui sequi velit vatem,
41 Etrusca caelo quem datum tulit tellus.

PROSOPOPEIA FRANCISCI MOLINI APUD DAMASCUM OBEUNTIS, AD SODALES.

I1_24 v.1 Heu quam repente quamque acerbe vos petam
2 tristi, sodales, nuntio,
3 quos heu, parentes post meos, acri scio
4 Iri dolore concitum,
5 cum rumor heu me tam brevi affectum gravis
6 vobis ademptum perferet.

7 Quo cessit aegro robur et vigor mihi ?
8 Flos quo juventae elanguit ?
9 Ego patria sic oppetam dulci procul ?
10 Meisque prorsus omnibus ?
11 O spes inanes, et leves quidem meas
12 quocumque curas tempore !
13 Dum namque agebam vos apud felix domi,
14 me huc, vos relinquens, contuli.
15 Nunc vos requiro, vosque nunc sero miser
16 frustra que conor alloqui.
17 Nihil ne penitus proderit nunc ? Non opes,
18 non forma, non genus mihi ?
19 Ubi ille, qui jam moverat cunctos, decor
20 cunctis refertur gratiis ?
21 An non superna sic tenere numina
22 saevire ne velint, potest ?
23 Vel lege firma quod semel sancit Deus
24 mortalis haud evaserit.

ALDO MANUTIO ROMANO :
HORUM LIBRORUM COMMENDATIO, UT PRO SINGULARI DOCTRINA SUA EOS
RECOGNOSCAT, ET PRO DEXTERITATE IMPTRIMENDOS CURET.

I1_25 v.1 Vitae peractis, Alde, sex lustris mihi
2 sunt coepta noster quae libellus continet,
3 perfecta vero lustra post paulo decem.
4 Hinc est quod annos, ut ferunt, novem premant
5 fortasse vates quicquid optant edere
6 nulla inquinatum labe, si non omnibus
7 queant refertum gratiis, si non ferit
8 id semper arcus, quod minatur eminus,
9 humana si vis optimum parit nihil.
10 His ergo, curae quicquid impendi potest,
11 nostra dabamus pro virili sedulo,
12 ut ipsa adirent maxime nitentia
13 et culta prorsus posterum quondam manus,
14 vivis nec essent protinus contemptui,
15 librata lance si prius justa forent.
16 Sic cogitabam non brevem meis dare
17 vitam libellis, optime velut mihi
18 satis et ex more educatis liberis.
19 Quibus futura est vita, opinor, altera,
20 si, quod merentur, auctiores munere
21 adoptionis hos tuae dignaberis.
22 Id est, acute siquid hic inspexeris,
23 quod rite dici possit elegantius
24 illudque scitu pro tuo mutaveris,
25 mox et nitenti veste si circumdatos
26 quam laude multa vatibus donas tua,
27 domo parentis exeuntes duxeris.

AD HIERONYMUM ACTIONUM AVOGARIUM MOMUM :
LAURUS ARBORIS LAUS

I1_26 v.1 Amantis olim laurus haec Apollinis
2 crinem decebat aureum,
3 circum virebat plectra, amoenum saepius
4 tegmen canenti fecerat.
5 Exinde vates arborem tantam colunt
6 et paene adorant seduli,
7 sed inter omnes Lydium sub hac simul
8 juvit poetam ludere.
9 Ivere eodem semita velut data
10 frondes petitum plurimi,
11 sed saepe frustra vixque spectanti procul
12 frondes videre contigit,
13 tam difficilis est aditus ac longo sacra
14 recedit arbor tramite.
15 Tu sorte vero, Mome, felici tua
16 accedis hanc solers prope
17 et nunc sub alto frondium cacumine
18 auram virentum mobilem
19 captas, honesto nunc coronam vertici
20 vivo refringis stipite
21 tractasque praesens et levi interdum geris
22 lectos manu ramusculos,
23 umbraque gaudens unius pulcherrima
24 ubique temnis ceteras.
25 Quondam triumphos haec adornans maximos
26 curruque vecta principum
27 docebat esse stirpium non infimam,
28 quotcumque tellus proferat.
29 Quod fulmantis haud Jovis negat manus,
30 unam quod hanc non percutit.

PEROLLA AD IPHIN :
QUOD DE SE SUSPICARI NOLIT

I1_27 v.1 Rex mentis atque corporis
2 mei potens et unice,
3 da semper operam, ut nos ames.
4 Serva datam mihi fidem
5 fidusque promissis mane
6 velut facis quam maxime.
7 Et quamquam agas id sedulo,
8 nam me cupis solam scio
9 et praeter hoc nil expetis,
10 amor tamen sic excitat
11 mihi furentem spiritum,
12 ut cogar his te colloqui.
13 Non quod patens ignis tuus
14 exstinctus usquam appareat,
15 calorve sit vetus minor ;
16 quin immo semper excitum
17 te miror atque sentio

18 timore perculsum gravi
19 ne forsā alter haereat
20 amans mihi propinquius,
21 et te misellum deseram.
22 Sed sede montes propria
23 prius moveri videris
24 et retro ferri flumina,
25 quam non perenni tempore
26 te corde conditum intimo
27 dolci geram cupidine.
28 Ac forte siquem detinet
29 spes ulla nostri, hic maximo
30 errore captus fallitur.
31 Nam talis est amor meus
32 quem jam tibi dono dedi,
33 qualis nequit qui dividi.
34 Si me cor exoptat tuum
35 et ipsa te solum expeto
36 nec nox diesve praeterit,
37 quin tecum agam, tecum loquar,
38 tibi propinquem te volens,
39 lubens, frequensque prosequar.
40 Si perditte me diligis
41 et ipsa te in terris colo
42 caelo velut missum mihi,
43 tu vita spesque et corculum,
44 tu quicquid est mihi boni,
45 et unde pendent omnia.
46 Facessat ergo omnis procul
47 abs te timor si me mea
48 tibi dedit felicitas.
49 Nam quod semel fatum probat
50 mutare numquam paululum
51 mortalis ullus quiverit.
52 Ne vita sit igitur gravis
53 tibi ; hoc, amabo mi, cave
54 ne suspiceris amplius.
55 Fac ut tibi mollis torus
56 dolci quiete somnia
57 perfusa semper praebeat.
58 Hei, non parum me commovet
59 levis tua erga me fides,
60 nec, ut deceret, credula.
61 Velimque fias certior
62 te mi dolorem maximum
63 afferre, quod sic haesites.
64 Dissolve falsam languido
65 affectionem pectore, et
66 causam doloris amove.
67 Ac si mihi velis bene,
68 nec quod ferat poenam cupis,
69 hoc sic ages ut quaerimus.
70 Laetique sic ambo diu
71 aberimus o nigris mea
72 lux cogitationibus,
73 et mille post annos erit

74 qui forte amoris gratia
75 tanti stupescat invidus.

AD BENEDICTUM BERTOLDUM PATAVINUM :
ELEGANTIS AMORIS COMMENDATIO.

I1_28 v.1 Cum tu perusti detegis tuos mihi
2 ignes, amice, pectoris,
3 languentis in me desides incendii
4 vires resummi sentio,
5 acuta quin et expediri spicula
6 arcumque nervo contrahi
7 quo me frequenti sauciare perditum
8 amor solebat vulnere.
9 Quis namque flamma pulchriore aduritur ?
10 Quis lentiore fomite ?
11 Ardes beatus virginum pulcherrimam
12 quotcumque vivi marginem
13 fontis frequentant, qui puellis proxime
14 aditur unus omnibus.
15 Habes et unde lenius sub hoc tibi
16 ardore pectus aestuet,
17 quod usque pura fluminis lympa sacri
18 foves inusta vulnera.
19 Humorque vires his levandis sufficit
20 calorque contra nititur.
21 Scatent ad iisdem quippe vi tam dispari
22 latex et ignis fontibus.
23 Quid non amando ferre, quid non perpeti,
24 quid non adire possumus ?
25 Jam qui ferarum contudit victor minas,
26 jussis puellae paruit.
27 Adnabat iras turbidi temnens maris
28 viso Leandrus lumine.
29 Caram petivit Ditis ad sedes lyra
30 vates canora conjugem.
31 Tu subter undas ureris, dum Naiada
32 undis latentem quaeritas.

SOMNI, SIVE NON FALSI VISUS IMAGO

I1_29 v.1 Adest deum munus sopor,
2 mortalium dulcis quies ;
3 vos curae abite in maximam
4 oblivionem pessumae.
5 Abite, quid moramini ?
6 An semper altera alteri
7 succedet ? Ac jugis vago
8 ritu scatebit fluminis ?
9 Non quippe, nam vos aut mero
10 tristes abunde diluam,
11 aut vos puellae verbulis

12 tandem resolvam blandulae.
13 Sternetur hic mollis torus,
14 spirabit hic olens rosa,
15 pulsabit elegans puer,
16 virgo canora succinet.
17 Obrepet oculis languido
18 sensim mihi lenis sopor,
19 laetaeque mentis somnia
20 optata semet offerent.
21 Videre videor en leves
22 ludentium jam jam choros
23 nympharum ad undae limpidum
24 Musis dicatae rivulum.
25 Num somnus hic est, an quies,
26 an visus, an ne insomnium
27 videre quod videmur, et
28 dulci quiete perfrui ?
29 Quid illa, quae tot flosculis
30 sertum evariat, aut quae rosas
31 legens rubenti e stipite
32 illi ministrat sutiles ?
33 O cui parantur vertici
34 doctaeque fronti praemia ?
35 Cui myrtus una Cypridis
36 Phoebique laurus texitur ?
37 Ni forte nascenti modo
38 vati coronam nectitis
39 o dulce et o perenniter
40 fluentis undae praesides.

IAMBICUS LIBER SECUNDUS

AD HIERONYMUM BONONIUM POETAM TARVISINUM POETIS DICANDA OPERA POETARUM
(carmen ex solis iambis)

I2_1 v.1 Adesto, diva Pieris, volens mihi,
2 diu tuere munus hoc, quod affero
3 tuo decente nunc in aede praesidi.
4 Opus quod ipsa nam magis probaveris
5 eo, quod ille qui deas colit, volet
6 piis perenne nuncupare vatibus ?
7 Tabella siqua diis dicetur illita
8 potentis artis inditis coloribus,
9 videre pictor alter hanc statim solet
10 amicus ante quam probanda protinus
11 vel improbanda proferatur insciis.

12 Peritus ergo cum propinquat artifex,
13 (quod auctor ipse forsitan nequiverat
14 amore captus interim rei) videt
15 quod illa peccet, aut quid elegantibus
16 referta possit exhibere gratiis.
17 Idem poeta iudicis gerens vicem
18 aget sodalis in recente carmine.
19 Idem, Bononi, onus libellus hic tibi
20 meus, tuo sed exaratus omine,
21 dabit subire, me expetente amiculo.
22 Polibis aequus eluesque sordium
23 erit quod intus et foris faberrime,
24 nec ipsa fraude gloria inquinabitur
25 ubi micare quid tibi videbitur.
26 Locare carmen aud potest ineptius
27 poeta, qui unicis dicat potentibus,
28 prius nec auris erudita quaeritur.

AD ANTONIUM VONICAM TARVISINUM :
INTERMITTENDA INTERDUM PHILOSOPHIAE STUDIA,
ET MANSUERIORIBUS MUSIS VACANDUM.

I2_2 v.1 Alterna quae non requie lenire laborem
2 vis sueverit mortalium,
3 Vonica, assiduo sub pondere victa fatiscet
4 et semet ipsa corruet.
5 Sic qui Socraticis plenum sermonibus annum
6 jam dediti peregrimus,
7 horrida ni placidis mollimus seria Musis,
8 intenta vel remittimus,
9 forsitan onus pressis humeris cogemur in ipso
10 itinere fessi ponere.
11 Ipsa pares natura vices observat, et aequis
12 alternat una legibus.
13 Artificisque manus variant, et laeva vicissim
14 fessae subintrat dexterarum.
15 Interdumque gravi vates in carmine nugae
16 prudens inanes inserit,
17 ut levet attentos nimium gravioribus utque
18 alacriores praebeat
19 et vegetos reddat magis ad discrimina rerum,
20 siquando nodus incidat,
21 qui solvi dignus mentis perstringat acumen
22 intrinsecus spectantium.
23 Sic interpositis paulum levioribus ipse
24 vicem repende seriis,
25 et quo laudatus coepisti carmine perge,
26 gradumque profer longius,
27 dum, positis reliquis, acres ego conor iambos
28 aptare dulci barbito.

AD LODOVICUM MARCELLUM HIERONYMUM EQUITEM :
EUM SIBI BEATUM VIDERI, PROPTEREA QUOD DUABUS GRATIIS, QUIBUS IPSE
FRUITUR, URBANA ET RURALI, TERTIAM SUPERADDAT,
ID EST, QUOD HIS CONTENTUS VIVAT.

I2_3 v.1 Marcelle, quo non alter est beatior
2 si, quod beatum est, ipse tecum pensites :
3 tibi frequenter, urbe vel ruri velis,
4 ludunt decentes hinc et inde gratiae.
5 Tuam frequentat optimus civis domum,
6 peritus omnis arte quavis artifex,
7 Musis amicus omnis et vates pius.
8 Aedes honestis commodis pares tuis
9 lautis renident undecumque sumptibus.
10 Urbana profert haec tibi se gratia.
11 Ruralis aequae nec moratur altera,
12 ubi, virentis praedium collis petas
13 utcumque amoenum, sive rupis horridae
14 antro, vel unda limpidi fontis juvat
15 spectare Nymphas, vel sacro passim deos
16 luco vagantes, cum tibi purissimis
17 Pomona replet fetibus mitis sinum,
18 cum Flora sertis floridis ambit caput
19 et laeta cornu prodit amplo copia.
20 Duabus ergo sic beatus gratiis
21 videre multis. At mihi dives, potens,
22 benignus : ista sic fatemur singula.
23 Totum negamus illud, ut beaveris
24 his te, sed ampliore commodo, quod his
25 contentus omni degis ambitu procul,
26 nec plura quaeris, liber et vivens tibi :
27 sororque inhaerens sic duabus tertia,
28 quae vera doctis creditur felicitas,
29 haec una reddit te beatum gratia.

REDEUNTI MUSAE
(carmen ex solis iambis)

I2_4 v.1 Quis hoc beatior dies, quis hoc jocos
2 magis refertus omnibus ?
3 Puella, quam sodalis huc meus mihi
4 Bononius reduxerat,
5 pedes ad ecce constitit meos gemens
6 precesque fundit uberes,
7 ut ipsa semper, ac fuit diu, mihi
8 adhaereat propinquius.
9 Fugae pepercimus, nec amplius graves
10 pati serena quivimus
11 notare lumina et faces eam, quibus
12 nitore vincit aethera.
13 Restringeror artius simulque conferor
14 pari libentius pede,
15 ut illa prodit, ut sedetque, et omnia
16 ait, facit decentius.

17 Amabere ergo semper et fovebere,
18 venusta, post Lycen, mihi,
19 superba prole, dulcis arte, filia
20 Clius Apollini sata.

REDDIT CAUSAM QUARE VALEAT, ET ADHUC POETIS,
TANQUAM INTER OMNES SCRIPTORES MAXIMIS, OBLECTETUR :
AD FLAMINIUM

I2_5 v.1 Quid mihi, Flamini, properantes objicis annos,
2 natura quod profert onus ?
3 An videor tremulae postes pultare senectae,
4 procul vel esse postibus,
5 cum saepe : "Hanc faciem", dicas, dum cernis eadem,
6 "mutare debuit dies" ?
7 Quam satius fortasse foret, si quod videas, ut
8 est, esse sic idem putes !
9 Nam non vana vides, color hic juvenilibus ipse
10 suis renidet viribus.
11 Nam, licet egrediar tria ter jam lustra perenni
12 fallentis aevi tramite,
13 sic potui quondam labentis frena juventae
14 forti tenere dextera,
15 ut qui florentes primus vigor isset in annos,
16 retentus hic serus quoque
17 adsit, et ut graciles grato consueverat artus
18 praestare firmos robore,
19 idem continua mihi me virtute valentem
20 servare adhuc pergat potens,
21 lusibus ut placidis interdum ludere curem
22 curis solutus ovinibus,
23 deliciasque inter terrestria munera sanctos
24 juvet poetas volvere,
25 quos tu, nescio qua ductus ratione levique
26 causa, videris spernere ;
27 cum tamen, haec etsi facias, incedere vates
28 inter poetas nobilis
29 visus es hoc ipso quo ludis carmine Musas,
30 caputque lauro cingere.
31 Utilius sedenim nullum conferre poetis
32 mortalium genus queat,
33 qui tibi non, ut ais, nugoso ludrica versu
34 vanasque fabellas ferant,
35 sed qui cum primum dulci medicamine curis
36 animum levarint tristibus,
37 mox hominum quicquid valeat conducere vitae,
38 avidis serant in auribus.
39 Non hic Pieridum cultoribus addere laudes
40 instituo, quas suas habent.
41 Sed tamen, ut brevibus dicam quae sentio, cunctos
42 cum paene scriptores legam,
43 seu qui per rerum causas spatiantur anhelos
44 plenoque numquam pectore,
45 aut quos imprimis veterum juvat acta virorum

46 verbis referre grandibus,
47 vel quoscumque alios, vario qui e semine mentis
48 fetus legendo comparant,
49 et sapere humano quodcumque et dicere more
50 passim videntur ceteri,
51 unus at inter nos fari caelestia vates,
52 forsan quod inde prodiit.

CUM ALIAS RES AGEREM, PETIT DE ME AMICUS,
QUI PUERI FORMAM CARMINIBUS DESCRIPSERAT, UT PUELLAE SPECIEM LUDEREM ;
 QUOD CUM FRUSTRA TENTAREM,
IN HOC PRINCIPII TANDEM CARMEN IPSUM EX SESE PRORUPIT.

I2_6 v.1 Quid hoc negotii est ? Quid hoc mali caput
 2 sedemque mentis occupat ?
 3 An non amicus quod petit carmen queam
 4 vel qualecumque promere,
 5 amicus ipse qui potest uno decem
 6 mutare versu carmina ?
 7 Facessat hinc meus verecundus hic pudor,
 8 metusve, vel torpor mihi,
 9 conemur omni, sic jubet, vi, virginis
 10 formae decorem dicere.
 11 Te, Musa, quando tu puellarum es decus,
 12 favere coeptis convenit ;
 13 ades benigna, et hic tuas propinquius
 14 partes tuendo sustine.
 15 Formosa primum haud est mihi, cui largiter
 16 natura non succurrerit,
 17 ab arte sed petit haec quod optat auxili,
 18 fuccataque incedit velut
 19 conspersa non suis avis coloribus.
 20 Nec illa contra perplacet,
 21 nativa cui si contingere plurima,
 22 ipsa haec iners non excolit.
 23 Utrumque sed sortita, diligentius
 24 quae servet id, quod obtigit,
 25 haec una digna est quae placere debeat
 26 amanter intuentibus ;
 27 intectus auro cui capillus vertice
 28 non elaboratus nitet,
 29 sed negligentem ferre diligentiam
 30 prae se videtur pendulus ;
 31 quae cuncta callet, atque rebus gratiam
 32 suam quibusque comparat.
 33 Micant ocelli fronte, sed condit modis
 34 vel promit hos decentibus.
 35 Tacet vicissim, nec loquacibus strepit
 36 inter loquentes verbulis.
 37 Decenter incedit, sedetque molliter
 38 aptis venusta moribus ;
 39 colore quovis grata, si succus subest,
 40 candente quamvis gratior.
 41 Procera, recta, gracilis, ut nolit tamen

42 artus habere junceos.
 43 Suavem puelli nobilis formam trahit,
 44 ridentis ut Cupidinis,
 45 pudore risum temperans tamen, jocis
 46 honestat aequa dulcibus.
 47 Contenta solo, quem sibi elegit, viro,
 48 secum ipsa quod gaudet, sapit.
 49 Quod si minutim forsitan magis cupis,
 50 amice, dici singula :
 51 decora comis apta dulcis blandula
 52 pudica praestet ceteris,
 53 quae digna vate, digna Musarum choris
 54 inter puellas ambulet.

ALCIMI ET ALCONIS AMOR

I2_7 v.1 Ludunt lascivae Clorisque et Flora puellae
 2 viridi in solo propter scatentem rivulum.
 3 Spectant formosi puer Alcimus et puer Alcon
 4 montis latenter ex reposito vertice.
 5 Illae se gelidis perfundunt saepius undis,
 6 glabella nuda crura, nuda pectora.
 7 His at saepe pedes titubant et pectus anhelum
 8 amoris igne percitis inaestuat.
 9 Hinc amor Alconis subito tibi, candida Clori,
 10 ardentem illinc deperit Floram Alcimus,
 11 floram, quae fusco quamvis conspersa colore,
 12 aequat venustis ceteras tamen modis.
 13 Hinc et uterque suam praefert et laudibus ornat,
 14 dulcique secum perfruuntur murmure.
 15 "Hac", Alcon inquit, "nusquam formosior ulla est,
 16 quacumque terras alma lux obambulat.
 17 Aspice quam lato distant discrimine mammae,
 18 solidoque ut orbe proditae foras tument ;
 19 molliter ut pleno subsidit pectore venter,
 20 suffultus aptis undecumque cruribus ;
 21 ut femur aureolae primo lanuginis ortu
 22 villis decenter pullulat florentibus ;
 23 ut niveus toto pellucet corpore candor,
 24 extentus auro quem capillus integit ;
 25 mollibus ut tota est artisque amplexibus apta.
 26 O nos beatos, quis videre haec contigit ! "
 27 Haec Alcon. Blando quem suscipit Alcimus ore,
 28 erat libenter ut facetus Alcimus.
 29 "O te felicem magis, haec si tangere possis !
 30 Vidisse namque sit satis Floram mihi,
 31 quae mihi me nutu solo ridentis ocelli
 32 proterva dulci nunc rapina sustulit
 33 et capto gravibus nodis innexuit artus,
 34 quibus nec ulla me dies resolverit,
 35 nec faciet quin hanc speciem sub pectore servem,
 36 magis revictus usque lentis vinculis."
 37 Alcimus haec. Quae non contra probat improbus Alcon,
 38 furit sed impotens et impatiens morae

39 et saepe occultas agitat mutatque latebras,
40 motis frequenter hinc et inde frondibus.
41 Donec proripiunt pavidis se cursibus illae,
42 visas ut altis sentiunt se rupibus ;
43 hi vero immoti pendent visuque sequuntur,
44 quocumque fessae delitescunt abditae.

PROSOPOPEA IRASCENTIS PRIMUM, DEINDE QUIESCENTIS SENIS N. F.
AD BERTUTIUM LAMBERTUM PRIMATEM TARVISINUM.

I2_8 v.1 "Inultus ergo semper et lenis queam
2 pati malignae mentis acres impetus ?
3 Inultus usque si vero nequissimum
4 caput referre praemium superbiae,
5 qua, sicut anguis, tollitur tumens, furit
6 livore percitum ferox et improbum
7 os quaque verberans movet, neque ullius
8 rei movetur gratia quin hoc probos
9 et immerentes impetat, velut canis
10 ignobilis, quae dente cum nequiverit,
11 complet timendis cuncta mox latratibus ?
12 Non ita : nec ultra namque, morsus nec minas
13 ferens inanes, patiar ut diutius
14 vexentur impune innocentes sontibus.
15 Jus suadet atque jure vis potentior
16 inserta naturae jubet, quae mitibus
17 feris et arma praebuit valentia
18 superbientis impetum propellere".
19 Ut haec locutus est senex, et abditum
20 fortem reclusit pectoris sententiam,
21 paulum moratus leniora protulit.
22 "Quid quisque vulgo proferat, nullus satis
23 cavit, nec umquam caverit mortalium.
24 Est namque eorum plurimum passim genus,
25 qui scire se, quod nesciant, certo velint,
26 et cuncta norint et loquantur perperam,
27 leges quibus nullas labor prudentiae
28 imponat umquam, detve quem servant modum,
29 repente ne quod sentiunt proddant foras.
30 Horum tumultus nemo, qui sapit, putet
31 unius assis aestimandos protinus,
32 sed ut repentis, sic fugaces autumet".
33 Vides, amice, quam sit ejusdem senis
34 diversa curis mens soluta turbidis,
35 quibus retentus ipse jam pridem levis
36 furebat irae semiustus ignibus.
37 Hunc tu secutus quid loquatur invidum
38 et turpe vulgus undecumque temnito,
39 ictus nec atri providus dentis time,
40 in imparatos saepe qui saevit ferox.
41 Falsis satis nam feceris rumoribus
42 virtutis amplo sic opertus tegmine,
43 agens frequenter plura, quam dici velis
44 egisse, nec placens tibi, neque efferens

45 te laude dignum, laude ni dignum facis.
46 Hi verba metuant garrulasque fabulas,
47 peccare quos minus pudet, quam inanibus
48 vulgi per ora devolare fabulis.

AD ANDREAM TREVISANUM FELTRIENSEM PRAESULEM :
MAGNAM PARTEM BEATAE VITAE QUIETEM ESSE,
QUAE DE SEDATA MENTE PROFICISCATUR.

I2_9 v.1 Fertur beatae magna pars vitae quies,
2 quam non honorum non opum vires ferunt,
3 sed mens movere turbidas curas potens.
4 Illis potiri tu licet satis queas,
5 haec ni quieta, ni procul curis siet,
6 nec illa multum proderunt quidem tibi.
7 Expertus haec tu noris, ut nullus magis,
8 oratione qui gravi mecum soles
9 mentes inanes et leves mortalium ;
10 ridere curas, ut satis nunc sit mihi
11 monere solum, quo loqui tecum velis ;
12 ne quod frequenti dicitur proverbio,
13 ineptus ipse nunc Athenas noctuas,
14 vel sus Minervam, vel brevis aquas freto.
15 Tibi ne quanta nos premant homunculos,
16 seu sors subornet illa, vel necessitas
17 impellat, aut mens ducat ; haec doctissimo
18 summaque narrem praedito prudentia ?
19 Dicamve quantos impetus sensim parit
20 receptus affectus semel animo gravis,
21 ac ni quis illos protinus trumat foras,
22 eos potenter ingruere in horas magis ?
23 Non his eges tu, sed penum ut mentis sacrum
24 tantum recludas, nec aberit praesto efficax
25 medela tristi profutura vulneri.

AD TRIPHONEM CHABRIELUM PATRITIUM VENETUM :
VITAE PROPRIAE IMMUTATIONEM, IMMUTATIONISQUE DETESTATIONEM.

I2_10 v.1 Aetate prima jam fuit, Tryphon, dulcis
2 scatensque abunde plurimis bonis vita,
3 cum grata laeto res mihi foret nulla
4 vacans amore, dulcibus jocis, Muis,
5 Muis amantium levi joco plenis ;
6 ridere nobis cum liceret exorto
7 ab sole ad alteram dieculam prorsus,
8 fieri brevem quam dormiendo oportebat,
9 ut noctis exactae vicem resarciret ;
10 amicus hinc cum luderet lyra versus,
11 referret illinc cum puella fabellas ;
12 cum Phoebus invicem Venusque certantes
13 noctu Lyaeon et die fatigarent ;
14 cum fessus urbe rus petens relinquebam

15 molestiarum siquid esset in porta,
16 ferens cachinnorum integrum gregem mecum ;
17 ubi rivulos scatentis undulae spectans
18 aestum levabam uno vel ipsius visu ;
19 ubi virentis ingredi comae lucum
20 mihi licebat intuentibus Nymphis,
21 Faunos ut altis montibus leves acri
22 excipere fessas videram feras cursu,
23 Cereris ubi et Pomonae, ubi Palis et Bacchi
24 dulcis honores deferens domum rure
25 vescebar epulis suavioribus cunctis ;
26 cum saepe sacros interim choros Phoebi
27 et ruri et urbe inviserem pius vates,
28 si nomine hoc dignus venio tamen tanto.
29 Nunc ipse tota erro via, nec in rectam
30 solutus umquam turbidis feror curis,
31 qui nunc honores, nunc opes levis tracto,
32 utrisque cum longe tamen volens absim ;
33 ad haec amici sed trahunt, trahit vulgus,
34 hic obloquendo, hortando at exigunt illi
35 ut quae mihi fugienda sunt, sequar prudens,
36 et ut negotiis dies vacet nulla,
37 quae differant, agantque me omnibus semper
38 horis nec ullius quietis admittant
39 locum, sed hanc mihi negent magis tanto
40 majore quanto praemio mihi posco.
41 Haec ergo ne est, an illa vita dicenda ?
42 An viva mors haec, illa sed deum vita,
43 cum summa pax quiesque summa prodirent
44 comites mihi passu pari, nec haereret
45 lis ulla, nec contentio, malignaeve
46 rixae protervia contumax bonis umquam ;
47 cum scelus abesset omne prorsus horrendum,
48 vis omnis, error omnis, ambitus omnes,
49 amicus omnibus bonus bonis essem,
50 laetus comes, sodalis integer cunctis
51 quibus vicissim amor aderat pius, semper
52 prae rebus omnibus colendus imprimis.
53 Qui me priori redderet dies vitae,
54 statueret idem regibus parem summis.

HIERONYMO BONONIO

I2_11 v.1 Vitae priori redditus,
2 qua grata mi sunt omnia
3 itemque cuncta libera,
4 curis solutus omnibus
5 hoc, quicquid est, primum tibi
6 fero, Bononi, muneris,
7 amice candidissime,
8 Musarum alumne maxime.
9 Libellus est Phoebi choro
10 tibi que amico conditus.
11 Amicus ut, leges libens

PAMPHYLO QUA PARTE POTEST, REFERT GRATIAM EORUM, QUAE AUDIVERAT
DE THRYPHONE CHABRIELO DE SE AB ILLO DICI, ET SCRIBI.

I2_12 v.1 Quondam revertens Brixia meus Tryphon,
 2 opinor anno superiore, rus petit
 3 et studii et oti gratia, cum vix novis
 4 vireret arbor vere primo frondibus.
 5 Casu huc ego applicans, eum viso cupide
 6 et is vicissim fronte me laeta accipit.
 7 Citroque et ultro collocuti plurima,
 8 ut mos amicis, cum diu secesserint,
 9 uterque tandem sic in unum venimus
 10 ut de eruditis verba haberemus, quibus
 11 fuisset interim ipse consuetudini,
 12 dum peregre honestis urbibus vagus foret.
 13 Hic tum recensens quos ubique viserit,
 14 celebris eos quidem atque magni nominis,
 15 ac te reponens inter illos maxime :
 16 "Heus", inquit, "Aureli, quod uni Pamphilo
 17 debes magis, quam ceteris, scias volo,
 18 is namque multa laude te dignum putat,
 19 nec ore tantum, quod frequenter factitat,
 20 sed dulcis etiam celebrat arte carminis,
 21 et te libellis inserens doctis canit."
 22 Hic inquam ego : "Quae mitis haec benignitas,
 23 ut quem nec allocutus est umquam, neque
 24 vidit, colendum duxerit amici loco ? "
 25 Tibique reddens nuntioque gratiam
 26 demum ita ab eo discedo, ut optem proxime
 27 tuis potiri lucubrationibus.
 28 Ac post peractos inde nonnullos dies,
 29 optatus ecce mi liber fertur tuus
 30 quem avida legendum protinus sumens manu,
 31 poema varium et eruditum, Pampile
 32 mi grande nostri seculi decus, statim
 33 quam multa de me scripserit stupens lego,
 34 agoque passim plurimas grates tibi.
 35 Et quando par est me vicem rependere,
 36 non aequa virtus sit mihi prorsus licet,
 37 amoris erga te mei pignus modo
 38 nisi trimetros hosce tibi, qui proderent
 39 fecisse semper ante me quam plurimi
 40 mentem refertam dotibus miris tuam,
 41 at nunc et istam colere, teque prosequi
 42 amore quanto candidum vatem decet,
 43 quem sic benigna mens amice junxerit.

AD HIERONYMUM BONONIUM, REDITURUM SE PROPEDIEM TARVISIUM, INTEREA VERO,
UT AMICIS NOMINE SUO SALUTEM DICAT.

I2_13 v.1 Jam jam nivalem Feltriam relinquimus,
2 jussis, Bononi, gerimus en morem tuis.
3 Ad vos receptum, cara amici pignora,
4 corpus feremus, mens enim vobis diu
5 relicta semper affuit, nec ullius
6 vestrum peregit immemor mihi diem.
7 Revertar ergo parte rursus altera,
8 minore quamvis, et morabor integer
9 vos inter, uni qui tenetis alteram.
10 Vobis perenne munus hoc erit mei.
11 Contra sed ipse dulcibus vestris fruar
12 convictibus, doctisque et elegantibus
13 facetiis et allocutionibus,
14 clemente caelo, fertili passim solo,
15 laetis venustis gravibus aequis optimis
16 bene institutae civitatis moribus.
17 O quid beatius queat contingere
18 quam illic, ubi quis plurimos unus colat
19 idemque plurimis ametur, ducere
20 vitam venusta in urbe ? Sed felicius
21 astro volente id, et favente prospero,
22 at interim dum pauculos moror dies
23 qui mi supersunt, ut satis fiat bono
24 huic cui licet me detinere, praesidi,
25 istos, quibus me deditum noris, precor,
26 salute multa imperti, amice, quo soles,
27 lepore cuncta condiens tuo gravi.

GRATIAS AGIT CUBICULO IN QUO, DUM FELTRIAE DEGERET, MORATUS EST.

I2_14 v.1 Quod te, cubiculum, commode frui mihi
2 in otio plene vacanti litteris
3 annum licuerit mensibus tribus additis
4 (secesseramus huc enim istac gratia)
5 grates habemus, et tibi quae possumus
6 majora cupimus et precamur caelites :
7 id est ut aequis et bonis semper patens,
8 claudare cupidis improbisque, nec magis
9 libenter et benignius quemquam velis
10 accipere quam si, cui sacer cordi est chorus
11 Musarum, eum forte huc venire turbidis
12 curis solutum contigerit, ut otio
13 ignobili, et amoenis queat salubriter
14 frui virentis Feltriae secessibus.

AD CORNELIUM CASTALIUM FELTRIENSEM :
INSTARE TEMPUS, QUO IPSE FELTRIA DISCEDAT ET TARVISIUM SE CONFERAT.
(carmen ex solis iambis)

I2_15 v.1 Abire montibus procul celerrime
2 nives et imber urget, id quod antea
3 diu monebat ater usque turbidis
4 opertus aer undecumque nubibus.
5 Redire caelum ad aptius Bononii
6 jubet Camena, qua suum in caput solet
7 recurrere unda, vim canentis haud ferens,
8 ut aptat ille dulcibus modis fides,
9 fides probante et modos Apolline.
10 Amicus hinc et inde plurimus vocat,
11 moramque nec probant meam, sed ut satis
12 superque qui recesserim diu, trahunt,
13 ferunt, aguntque jure me quidem suo.
14 Quid ergo, Castali, morabor amplius,
15 ubi nec ipse temporis, nec otii
16 modus mihi est, utrumque cum auferat potens
17 et aequa vis sodalitatis et loci ?
18 Licet videre parvulas aves statim
19 recedere insimul, solumque vertere,
20 hyems ut instat. At leves homunculi
21 nequimus id, quod insitum est minoribus,
22 doceri, et inde rebus obsequi datum
23 necessitatis ordinem ferentibus.
24 Eo ne forte te quoque excitas, ut hinc
25 salubris urbis et decentis applices
26 ad otium, valere ubi queas simul
27 et artibus vacare, mentis excolens
28 acumen ut soles, bonis, quibus tibi
29 tuisque grande patriaeque fers decus ?
30 Ego at fluenta limpidi Silis petam,
31 tepens ubi aura verque pene continens,
32 gelata si haec nivisque operta compares,
33 ubi urbs referta gratiis decentibus,
34 virisque moribusque, qualibus decet
35 bene instituta civitatis agmina
36 frequenter uti in otio et negotiis.
37 Valere Feltriam sinamus horridam,
38 amice, bruma cum propinquat algida,
39 furente quaere sub calore floridam.

AD PETRUM BEMBUM
GRATULATIO VERONENSIS PRAETURAE PATRI CLARISSIMO DEMANDATAE.

I2_16 v.1 Ad te nec ipse litteras diu dedi,
2 optate Bembe semper, et semper mihi
3 altis adhaerens cordis in radicibus ;
4 aliunde nec de me rescisti forsitan,
5 qui Feltriae alpes inter horridas latens
6 annum peregi mensibus tribus additis,
7 vix unde quisquam poterat effari tibi

8 tunc quid agerem, quod admodum paucis darem
9 me semper unis artibus bonis vacans,
10 quaerensve siquis abditus recederet
11 locus, frequente civium molestia
12 semotus, ignobilis ubi degens sacros
13 intuerer Aonidum propinquius choros,
14 quae vulgus odere inscium, nec vatibus
15 ipsis videntur, aura quos vulgi tenet.
16 Nullis sed umquam praebui recessibus
17 me tam remotis, quin celebre meas tuum
18 adiret aures nomen et scirem quibus
19 tenere studiis tu paterque qualibus
20 fungatur usque patriis honoribus.
21 Tum gratulatus, ut decens erat, tibi
22 quae digna vestrae prolis et vestrum forent
23 ventura semper imprecabar munera,
24 jam quale nuper audio patri datum,
25 praeclara in urbe clarus ut praetor siet,
26 valere vos omnes ubi exopto, senem
27 aviam, parentes optimos, fratrem probum,
28 te, si venire illuc vel illic degere
29 tibi placuerit. At redire istuc simul
30 omnes item incolumes precor ; opes, gloriam,
31 decus referre ; ceterosque patriae
32 obire honores te patremque maximos,
33 ut illa vobis, vosque digni patria.

AD MARCUM MAUROCENUM PATRITIUM VENETUM
AB AMORE DEHORTATIO.
(ex solis iambis)

I2_17 v.1 Putabis omnium miserrimum, qui amat,
2 amore si quidem gravi teneberis.
3 Tibi beatus hic item videbitur,
4 favebit aura si tibi Cupidinis.
5 Fit inter haec quod ambigat nihil : premit
6 vel elevat, probatque semper alterum
7 amor, suprema non tenere nescius.
8 Nimis dolebis ergo vel levi nimis
9 ferere gaudio, sed et metus quoque
10 et aegra te Cupido coget acrius
11 amara quaeque, et exsecranda perpeti.
12 Id ipse sentiens, brevi periculo
13 cave, puer, nec ulcus altius putre
14 agi, sedereve id diutius sinas.
15 Tenella siqua duxeris, manum statim
16 sequentur apta. Si subinde dureant,
17 ut assolent, inepta prorsus haeserint.
18 Tenebit hinnulus semel quod hauserit
19 diu ; nec ille verbera, aut minas timens
20 lupata vector obstinatus audiet.

PRO PUERO
(ex solis iambis)

I2_18 v.1 Amore siquis ardeat gravi puer,
2 habebit unde ferre pondus igneum
3 queat malique quo sibi paret modum,
4 iuventa agente id, hoc ferente tempore.
5 Senex nec ignis ipse vim pati valet,
6 nec elevare debilis potest onus,
7 quod usque congerens ferox amor diu
8 subire cogit artibus trementibus.
9 Amabit ergo tutius tener puer
10 gravemque ponet, ut volet, cupidinem.
11 Erit nec illi inutilis recens amor,
12 sed excitabitur latentis indolis
13 honesta vis caputque laeta proferet,
14 virentem ut uret hunc novus calor magis.
15 Et hunc perinde mos venustus excolet,
16 ut exiisse gratiis decentibus
17 putes, vel arma sic decorus induet,
18 ut indidisse Martium huic statim decus
19 deum, qui equis virisque saevit, autumet.
20 Et inde, gratus ipse ab arte plurima,
21 aget, loquetur, ut docente Pallade
22 id expedire vel referre sentias.
23 Tot ex amore pullulat bonis puer,
24 quot ex amore carpitur malis senex.

PRO SENE
(scazon ex iambis solis)

I2_19 v.1 Amore carpitur gravi senex numquam,
2 suis tenere qui modum sciat rebus ;
3 minore namque vi vel impetu fertur,
4 calet minusque temperantior factus.
5 Amoris ergo saucius levi cura
6 amat cupitque, quodque amat cupitque, ardet :
7 sed ignis huic inest ut ardeat semper,
8 nimis nec urat, et tamen satis duret.
9 Quid hoc sit ipse, quam puer, prius novit,
10 cavetque, siquid improbe facit, prudens
11 ut occulat ; quod ille non potest, acri
12 calore concitus juventae inurentis
13 magis magisque verberum graves ictus.
14 Quod ulla si puella non ineptiret,
15 virentis atque perfidi latus vitans,
16 sibi fidelem et aridum senem malit.

AD BONONIUM ET PANCRATIUM PYRUCHINUM: TRIS SUPERIORES ODAS, SI NON
SENTENTIA, CONVENIRE SALTEM INTER SE, QUOD SOLO PEDE IAMBO CONSTENT,
PRAETER ULTIMAM, QUAE POSTREMA SEDE HABET SPONDEUM, UT SIT SCAZON.

I2_20 v.1 At haec, Bononi, quae legis, tibi forsan
2 videntur et Pancratio viro docto
3 pugnare prima fronte, quod senex dicat,
4 negetque non tantum puer sed, audacter
5 fortasse et impudens nimis, loqui contra
6 conetur atque consulentis illudat
7 voci superbus et sibi magis credat ;
8 videatur at contra ita senex ineptire,
9 in amore puero ut praeferat levis sese,
10 siccum virenti, ineptum idoneo prorsus.
11 Verum solere multa sic simul stare
12 vos non negabitis, remota quae primum
13 cum sint, olescunt invicem et ferunt unum.
14 Sic ipse magnus orbis, ut potest, unus
15 apparet e contrariis satus multis.
16 Hoc et trimetri nunc sibi mei poscunt,
17 sententiis qui protulere diversis
18 unum quod exstet consonetque idem, tantum
19 introspicere siqui abditum velint sensum ;
20 quod si assequuntur re minus, pedis saltem
21 virtute praestant, namque iambus iis unus
22 per omne rite cursitat celer carmen ;
23 in calce fessus claudicet nisi scazon.

AD CHRYSILLAM

EAM ESSE CAETERIS VIRGINIBUS EXEMPLAR QUOD IPSAE SEQUANTUR.

I2_21 v.1 Micare sicui non videntur sidera,
2 nitere nec Phoebi soror,
3 forsan nec illi Phoebus ipse fulserit,
4 per quem renident omnia.
5 Cui tu venustis non videris moribus
6 ornata supra ceteras,
7 hic non, Chrysilla, quid modus sit, quid pudor,
8 nec quid venustas noverit.
9 Exemplar esse ne moreris omnibus,
10 nec se morentur ceterae,
11 quin te sequantur eminens caelestium
12 munus datum mortalibus.
13 Ut una caelo graditur e tribus dea
14 quae Paride praestat iudice,
15 illamque divae circuunt, volentibus
16 Junone sic et Pallade,
17 sic multa te sequentium semper cohors
18 circumferatur virginum,
19 decusque de te tale faustum contrahant,
20 e Venere quale sidera.

AD DANIELEM RHENERIUM PATRITIUM VENETUM

I2_22 v.1 Perfectus est, quo jusseras modo mihi,
2 Nelphus, Rheneri Daniel doctissime.
3 An assecutus quod volebas fecerim,
4 videto tu, qui cuncta calles optime
5 et Graeca versas semper exemplaria,
6 Latina nec tum sedula ponis manu,
7 nocturna tanta est et diurna lectio.
8 Sat habui ego in re istac gerere morem tibi,
9 sed ferre non est integrum sententiam
10 mihi, sit hic ne rite quid faventibus
11 textum Camenis, an quod insertum male
12 aberret intus staminis sacri caput,
13 id non eadem dirigente dextera.
14 Tu iudicato, num movendum quidpiam
15 addendum an est, vel corrigendum, seu magis
16 dandum liturae, quicquid est, quod scripsimus,
17 ut jam incubuit Ajax ferox in spongiam.

CHARON ET NELPHUS

CHARON

I2_23A v.1 "Attat, quis hic est, qui ratem premit tantus
2 forosque solus occupat jacens cunctos
3 opertus armis et manu tenens hastam ?
4 Hem stertit, hui, quid hoc ? Nec attigit Lethen
5 soporis atque oblivionis infernae
6 fontem perennem. Ah, nosco : dormit, ac nondum
7 vitae peregit semitam datam fatis.
8 At excitandus protinus mihi somno est,
9 ne cymba fluctuet. Sed heus, quid hoc ? Heus tu,
10 quid ? Excitari non potest, tamen stertit.
11 Adhibenda vis hic major est, dolo namque
12 istuc peractum, et casside hac mihi primum
13 caput levandum. Proh triplex canis rictus,
14 quam gravis odor, quamque efficax inest virtus !
15 Nam paene me incautum et sopor malus cepit.
16 Ponenda teres est quoque sudes manu, nequid
17 ferociter faciat et impie ignarus,
18 vertendus et faselus optime ad litus ;
19 hic qui Marathron dicitur frutex Graiis
20 carpetur atrum virus hoc mihi contra.
21 Pervenimus sed o jam, et egimus cuncta,
22 quae oportet : is nanque experrectus assurgit
23 minaxque comparem laccessit audacter.
24 Sed est rogandus, edat ut rei causam,
25 armatus huc cur venit et soporatus.
26 Heus tu. Tibi iterum dico, quis es ? Et unde huc te ? "
NELPHUS
27 "Agone certo. Nomen est mihi Nelphus.
28 Fortissimum et saevum modo virum stravi.
29 Nunc alterum expositum super dabo pessum."

CHARON - NELPHUS
30 "Pessum dabis quem ? " - "Qui stat en procul contra."
CHARON - NELPHUS
31 "Nihil est, ineptis, o fatue." - "Nihil ? Garris !
32 Exspectat alter, quem tibi statim primo
33 ictu reponam media harena. At accedit,
34 et calcar ego subdo. Sed heu miser, cassis
35 ubi est ? Ubi equus ? Ubi hasta ? Quo feror praeceps ?
36 Ubi certo ? Nullus e meis adest, omnes
37 liquere miserum me, nec ubi siem novi."
CHARON
38 "Resipisce. Et ede, quae egeris, mihi primum.
39 Ego cetera ipse postea, ut scias, faxo."
NELPHUS
40 "Apud vetusti Antenoris probas sedes
41 equestris agitur ludus ; inde ego victor
42 excedo, nec quo venerim huc modo gnarus.
43 Ni forte, quod mihi accidisse Veronae
44 constat, doloso nunc sopore pertentor.
45 Nam illic equo dum sedeo, brachio insertans
46 hastam trabalem, me repente vis omnis
47 adeo relinquit, medio ut in foro starem
48 immotus. Aiebant bibisse me diri
49 potens stuporis poculum gravis succi.
50 Tantum malignae pravitas potest mentis."
CHARON
51 "Paulum morare, arcana dum fero verba,
52 et pulvere inscribo haec Stygis deo signa :
53 Mox audies, tibi accidere qui casus."
NELPHUS
54 "Moror tibi que accommo libens aurem."
CHARON
55 "Miserandus, nec minus senex honorate,
56 nam vera narras, et quidem fores victor
57 obstaret invida nisi fraus tibi, ni nunc
58 saeviret in te qui malus dolus quondam,
59 quamvis id haustu, hoc nunc odore patratum est.
60 Nam cassis intus spongia madet circum
61 taetro cicutae vel papaveris succo
62 infecta et aliis, quis inest sopor, rebus.
63 Vereorque ne jam ulterius id malum serpat,
64 fatalis offert nam via hinc tibi sese
65 et fila properant diripere colo Parcae.
66 Solamen accipe hoc gravis tamen fati :
67 nam capiet omnes mox dolor tui tristis ;
68 Euganeus ipse vel Venetus erit praesens
69 spectator et maesta efferent domo funus
70 honore quanto militem decet summum.
71 At grata Tarvisium patria tibi ponet
72 carmen, quod edet elegans tuus civis ;
73 te promptus inter Hectoras Charon sistam."

NELPHUS
I2_23B v.1 "Quam dura conditio sit haec mortalium
2 qui mi supersunt viderint,
3 humanus ad quos scilicet spectat labor

4 quibusque casus imminet,
5 alter ut agat vexetque semper hos malis,
6 bonis at alter auferat.
7 Nos indecore quando nec peregrimus
8 vitam, perisse sic juvet.
9 Propelle lintrem quo velis jam nunc, Charon,
10 meque inter umbras colloca.
11 Tellure corpus conditum relinquimus
12 Manesque cymbam scandimus."

CHARON

I2_23C v.1 "Sat est : ades virtute, nam latos procul
2 fortissimorum principum campos vides
3 quos inter esse et ludere dabitur tibi.
4 Tenebit et te cura, quae quondam fuit,
5 equorum et armorum, simulque gratia
6 sequetur eadem. Tu modo non horreas
7 vultus minaces, impetu qui te fero
8 pavere cogent protinus, novum hospitem,
9 quousque de te fecerint periculum
10 an inter ipsos dignus admitti venis.
11 Tu perge contra, nec leves umbras time,
12 quae tangere haud te quippe, nec tangi queunt."

NELPHUS

I2_23D v.1 "Ludunt inanes ergo sic imagines ?
2 Et fulgor armorum nitet ?
3 Errantque passim prata per, et agros equi
4 laeto soluti in gramine ?
5 O me beatum, si locus detur mihi
6 vel inter hos novissimus.
7 Nam satius est ita esse summorum infimum,
8 quam generis infimi caput."

CHARON

I2_23E v.1 "Sic est, sapis nam, et ego quod annumeror deis,
2 malim subigere sutilem hanc conto ratem,
3 quam rex caducis praefici mortalibus."

NELPHUS

I2_23F v.1 "At ipse quamvis laeter his addi viris,
2 peperere qui quondam sibi
3 et patriae quoque splendidum factis decus,
4 repetere superos nunc tamen
5 illicque quam vis perpeti sortem velim,
6 vobisque regnum hoc relinquere,
7 et quicquid est quo sic superbe vos nimis
8 inaniterque extollitis."

CHARON

I2_23G v.1 "Adhuc relictis inquinatus sordibus
2 humana sapis et loqueris, ac nondum miser
3 purgatus induis alterum vitae modum.
4 Divina sed cum poteris animo consequi
5 conferreque humanis, statim illorum tibi
6 intercapedo sic patebit eminens,

7 ut inter illa protinus, quae sunt nihil,
8 et quae perennant usque distat maxime,
9 quod namque retro dixeram, non laedere,
10 laedi nec ipsos inferos, sic accipe :
11 nullis eos periculis obnoxios,
12 nullis subesse, qui boni, laboribus :
13 sed esse vere, quando nec pati queunt,
14 nec interire, nec labare quippiam,
15 aevo perenni cum fruantur et polo
16 astrisque semper prosperum micantibus.
17 Nec esse scito vos, videri sed modo.
18 Nam qui potestis esse, qui sic perpete
19 fluore habitis semper ? Etenim dicier
20 id esse vere, quod manet, solum potest.
21 Aeterna sunt quae sunt. Ad horum cetera
22 responsum abesse, nec esse, vere dixeris.
23 Huc ergo cum applicatis, id, quod erat putre,
24 primo relinquitis : merita dehinc gnaviter
25 pensantur aequa lance danturque omnibus
26 felicitatis aut miseriae praemia."

NELPHUS

I2_23H v.1 "Miranda narras, et tibi grates ago
2 errore quod levaveris
3 me, cui beatas ut adeam sedes volens
4 sermone sancto suaseris.
5 At dum locutus optima haec pergis, prope
6 jam littus ecce venimus.
7 Et, ut vetusto dicitur proverbio,
8 vector facetus est comes,
9 longam paludis semitam fefellimus
10 his adlocutionibus."

CHARON

I2_23I v.1 "Descede, quo te nobilis fati decus
2 ducit superbum heroas inter optimos.
3 Redibo reliquas ipse ad umbras protinus,
4 quae me morantur transiturae ; tu vale."

NELPHUS

I2_23J v.1 "Ita faciam, ut jubes, lubens. Et tu quoque,
2 nostri memor, Charon, vale."

AD DANIELEM RHENERIUM: IN LUPUM :
ID EST IN FATI VIOLENTIAM

I2_24 v.1 Rheneri, oberrans his oves agris lupus
2 immanis aufert clanculum pastoribus
3 praedam frequenter ; saepe vi rapit quoque
4 dorso reponens, iis vel inspectantibus.
5 Sic omne miserum devorat passim pecus,
6 sititque semper sanguinem, et perit fame.
7 Apud fluenta limpidi nuper Silis
8 alebat agnam Lygdus addictam mihi,

9 quae spes futuri postmodum gregis foret.
10 Hanc ille satagens capere clam primum parat.
11 Sed postquam id incassum agere se lusus videt,
12 cunctis adortus viribus parvam rapit,
13 clamante frustra proditi gregis duce.
14 Agrestis omnis tum juvenus horruit,
15 Lygdum miserta meque, qui tanta cito
16 spe sic ceciderim. At ipse percussus gravi
17 casu ac peculi protinus mei memor,
18 ne rabida in ora neglegens id quoque darem,
19 repente solitas ardui sedes jugi
20 scandens quietis pristinae specum peto.
21 Ibi ad scatentis rivulum lymphae sacrum
22 nymphis recessus abditos amantibus
23 secure in altis montibus pascens pecus
24 spem solor acri tibiae vanam sono,
25 contentus aequa sorte, quam paraverit
26 contemptor animus sobrio meus mihi
27 cum desit aequae sitque mi super nihil,
28 frugi ferente sic utrumque copia.

BLANDITUR INFANTULO NICOLAO SALOMONI PATRITII VENETI FILIO

I2_25 v.1 Fastidia aufers mensium matri decem
2 nunc orte puer, ademeris febrem patri,
3 avis perennem pectoris curam levas.
4 Affers et iisdem dulce cunctis gaudium,
5 at ipse vates nuntium felix tibi
6 fero vicissim e Gratiis missum tribus,
7 novemque Musis, unicoque Apolline.
8 Ridebis infans protinus parentibus.
9 Et ora vinclo blanda cum dissolveris,
10 gratis facetus insonabis verbulis.
11 Aetas olescet sed tibi cum grandior,
12 virtute fructum proferes annis parem.
13 Civem parentes qui deceat ambos dabis,
14 et Valerianam et Salomoniam domum,
15 qualemque summis optat in negotiis,
16 perfectum ad unguem principem, res publica
17 quot jam fuerunt omnium justissima.

AD ANNAM PANNONIAM REGINAM PRO TARVISIO CIVITATE

I2_26 v.1 Regina priscis orta quondam regibus,
2 regique conjunx dedicata maximo ;
3 regumque mater mox futura fortium,
4 gratatur haec nunc civitas omnis tibi
5 optatque faustum hoc semper et felix iter,
6 ut laeta sedes regiae visas domus
7 regnumque crebris urbibus late potens
8 gentemque Marte prosperante nobilem.
9 Sed quod precatur omnium quam maxime est,

10 ut sospes ipsa sospitem petas virum,
11 optata quem prae rebus optas omnibus.
12 Regalis hic tu protinus vultus sacram
13 venerata majestatem et acrem contuens
14 ingentis animi spiritum propinquius,
15 pasces beatis mille mentem gaudiis.
16 At ille, mores aureos spectans tuos
17 tibi que quanta corpori nitet Venus
18 et quanta mirae praesidet Pallas manu,
19 ter mille laetus efferetur gaudiis.
20 Spectabis ut jam dispares hic legibus
21 gentes adaequet ac fruatur aurea
22 nunc pace, bello saeviat modo truci,
23 et mille decies efferere gaudiis.
24 Prosternet ille perfidos Turcas, aget
25 a patria, a fide et bonis victor procul,
26 consilii eris tuque et trophaei particeps ;
27 et mille capient centies vos gaudia.
28 Summis honustam proferes prolem bonis,
29 reges videbis regio de sanguine
30 dulcis puellus ; mox juventae praeditos
31 virtute, qualis unice satos decet
32 regum vetusta stirpe, eruntque saepius
33 sic mille vobis millies tum gaudia.
34 Haec praetor urbis Salomonus, et tuo
35 urbs omnis adventu alacris orat caelites,
36 cupitque adire sic preces deos suas,
37 tibi ut dicato fundit illas pectore.

AD GALEATIUM PONTICUM PATAVINUM

I2_27 v.1 Si quando nostri carminis partem leges,
2 quae post tumultus edita est mentis mihi,
3 impulsus ad quos veneram et nolens leves,
4 jubentibus mihi sic amicis omnibus ;
5 si quando ficta nuper, inquam, videris
6 mihi, Camenis ut prius faventibus,
7 amice rare virque recte Pontice,
8 multaque variarum arte rerum praedite,
9 mirere ne tu, forte si prioribus
10 apte cohaerent consonantque gratiis,
11 quae me profano rite vulgo segregant.
12 Optarat omnis civitas, omnes boni
13 concupierant occasionem hanc mihi dari,
14 qua proveniret jugis et frugi meis
15 rebus bonorum sat decens accessio.
16 Vitam subissem lautiolem forsitan,
17 si consecutus id fuisset ; sed tamen
18 hoc non adeptus prospere mihi, grave
19 fatum quietis pristinae nil abstulit.

PROSOPOPEIA DE AMORE CONQUERENTIS
(scazon ex iambis solis)

I2_28 v.1 Erisne, carnifex Amor, satur nostri
2 cruoris umquam ? An improbas manus semper
3 movebis ? Atque saucium hoc jecur tantum
4 pates iniquus, et memor parum juris
5 quod arma nequis inferat jubet capto ?
6 Tibi frequenter heu manum dedi victus
7 et ulcus ipse millies revelavi
8 ubique putre redditum die longa.
9 Nec ulla lenit id medela, nullumque
10 levamen intus ardor excitus sentit,
11 sed uror usque, nec satis tibi visum
12 ferire pectus impio probum ferro,
13 at uris, ignis admovens faces diri.
14 Fero tamen libenter haec miser cuncta
15 volensque ; credat hoc quis ? Et fovens ignem
16 in igne versor, ut feram ferunt quamdam
17 camino inesse saepe nec pati ignito,
18 sed inter ire, quo magis queat, flammas.

AD HIERONYMUM BONONIUM

I2_29 v.1 Ride, Bononi, quaeso, si sapis, ride ;
2 nam rideo ego, ridere cui nefas esset,
3 sentire si, quae vulgus assolet, vellem.
4 Mirere nec tu, si fidem mihi frangit
5 qui stare promissis nequit, nec haerere
6 diu suismet consonans potest dictis.
7 Istius esse hunc ordinis scias morem
8 ut alterum ore, pectore alterum gestent,
9 nec idem ut loquantur sentiantque idem curent,
10 sed cuncta semper perfide his loqui par sit
11 et facere, ut est genus hominum id quidem nequam
12 quod jam Lycaon hic reliquit, excedens
13 pio virorum versus in lupum coetu.
14 Ride ergo, et aequae rideant amici omne,
15 sed risus hic mortalium petat casus
16 curasque inanes exagitet, et irridens
17 hoc, quicquid est, quod sic probamus insani,
18 id omne mecum ducito nihil sanus.

AD LEONARDUM PORTUM ET N. ANGARANUM VICENTINOS :
NONNULLA PLATONICAE DISCIPLINAE DE IMMORTALI MENTE
INSUPERQUE DE EA PARTE ANIMAE, IN QUA PERTURBATIONES EXISTUNT.

I2_30 v.1 Istinc reversus saepe mecum cogito
2 quam me benigne vestrum uterque acceperit,
3 amice Porci et Angarane candide,
4 quam vos libenter ipse contra viserim
5 et multa nostrum quae fuere gaudia :
6 dies ut omnis invicem gratissime

7 et paene noctes colloquendo duximus ;
8 legistis ut mi plura, quae faventibus
9 Musis adusque posteros nomen dabunt ;
10 non nulla vobis ut vicissim protuli,
11 audistis ipsi quae benignis auribus ;
12 ut quosque me tunc alloqui doctissimos
13 fecistis omnesque arte quavis praeditos
14 videre, vel siquid fuerat illis manu
15 perfectum opus docta, vel urbis inclytae
16 perenne siquid et fabre factum foret.
17 Mens igitur ad vos saepe, quae potest, redit ;
18 vagatur illa namque quo vult libera.
19 Si vultis hujus proferam causam boni,
20 solum quod inter mala datum est mortalibus.
21 Immunis haec nam lege cum foret necis,
22 nec labe molis inquinata sordidae,
23 sic ipsa summo constituta principi,
24 cepere divi tum bonam primum boni,
25 eique circum mox dedere putridum et
26 mortale corpus, addito quoque altero
27 animae caduco genere, cujus in sinu
28 affectus omnis incubaret conditus.
29 Hic nam voluptas est, malorum maxima
30 esca, et dolor qui revocat atque detinet
31 vi aestuque mortales ab officio procul.
32 Audacia est quoque et metus, leves duo
33 temerarii que consulentes perperam.
34 Infrenis ira spesque inanis non abest,
35 quarum furore cuncta percit altera
36 mentisque tollit acre iudicium bonae,
37 at altera animi subruit constantiam,
38 dum nos subinde credulos nimis facit.
39 His ergo, Amoreque cuncta qui vincit, simul
40 sensuve qui ratione procul est, spiritum
41 circumferentes condidere obnoxium
42 morti, sed ipso puriorem corpore,
43 Divina quo mens artiore vinculo
44 haereret aegro colligata corpori.
45 Sed ne propinquo tangeret mortalitas
46 puram perennem vividam tamen situ,
47 dispescuere singulis illas locis
48 caputque collo segregantes pectori
49 animae genus mortale sub praecordiis,
50 mentem supremo collocarunt vertice,
51 ubi suo pte haec usque motu concita
52 quocumque pernix advolat, nec temporis
53 loci vel ulla intercapedo fit morae
54 quin una ubique et semper adsit libera
55 formasque in omnis, ut velit, se transferat.
56 Ni fallor, haec sunt dogmatis Platonici
57 exempta vobis inde quam brevissime,
58 legenda studio promptiore forsitan,
59 auctore quo sunt grandiore prodita.

AD MUSAM,
QUOD IN SCRIBENDIS IIS, QUAE SUB TERRA GIGNUNTUR,
LICEAT VIRGILIUM IMITARI, QUI QUAE SUPRA PULLULANT, FELICISSIME CECINIT.

I2_31 v.1 Jam me latenter deserit potens favor,
2 quem, diva, spiraras mihi ;
3 ex quo minuti carminis coepi jocos
4 te sic jubente ludere.
5 At majus ipsa nunc opus movens tamen
6 majore vi nos excitas
7 ultraque paulum, quam prius, profers gradum
8 ac nos sequentes protrahis.
9 Jam non per ima ducimur convallium
10 humique proni serpimus,
11 sed grande sacri scandimus dorsum jugi
12 obliquo anhelii tramite.
13 Ac jam videmur proxime sub editum
14 prodire sensim verticem
15 ubi haud videre est floribus nitens solum
16 vitisque frondens germine,
17 sed prominentia saxa, sed quae dirutis
18 querceta adhaerent rupibus.
19 Non excitamur dulcis hic pulsu lyrae,
20 non tibiae voce querulae.
21 Non hic amantis juvenis aut amabilis
22 lusus puellae ludimus,
23 vel siqua faciles pervicax mortalium
24 sensus voluptas luserit ;
25 at nec tubarum personat strepentium
26 canorus aures spiritus,
27 nec ille jam nos Martius cepit calor,
28 summiq; virtus carminis,
29 sed lenis hic nos floridum modi genus
30 illi secundum detinet,
31 natura rerum quo parens dici queat
32 quas dives intra parturit
33 tellus nec edit, condito de viscere
34 humana ni vis eximat.
35 Hac lege et arte maximus vatum canit
36 quas terra supra promovet,
37 quibusque pascit ac alit animantia
38 ornatque cuncta frugibus.
39 Hunc aemulamur, hunc sequi tantum juvat :
40 tu, diva, da nos consequi.

AD LIBRUM
(ex solis iambis carmen)

I2_32 v.1 Libelle, mente sobria mihi sate
2 mihique habende pignoris loco pii,
3 tibi perenne posteris decus precor,
4 ratum benigna quod Camena fecerit ;
5 legaris ergo quamdiu magis queas,
6 et aequa semper inde fama personet,

7 adhucque vate, si licet, superstite,
8 virum per ora saepe docta prodeas.
9 Avere munus aut vovere grandius
10 nec ipse sanus et pudens quidem velim,
11 darive majus hoc tibi potest nihil.